

Eis quae in Theophrasteo characterum libello offendunt,
quatenus transpositione medela afferenda sit.*)

Artem criticam in Theophrasti, qui *χαρακτῆρες* inscribitur, libello factitandam Vaticano codice reperto in novas vias deflexam esse satis constat. Primum enim eius supplementa, etsi initio acerrime impugnata sunt, paulatim tamen et praecipue postquam Fossium ingeniosum defensorem invenerunt, tantam obtinuere auctoritatem, ut iam nemo de genuina eorum origine dubitet. Dein quae cum aliis codicibus ille communia habet, ea plerumque multo meliora exhibit. Itaque posteriorum XV capitum, quae sola tenet, scripturam fere ab eo uno pendere omnes hodie consentiunt. Sed in aliam quoque partem ut critici ab ea, quae antea in usu fuerat, ratione discederent, Vaticani cognitione effectum est, cum plane novum emendationis genus, notarum transpositionem, inducerent. Quamquam iam prioris aetatis interpres quasdam sententias ab una descriptione abhorrente et in aliam cadere suspicati erant, verum e sede sua movere eas reformidaverant, quia notarum tali modo translatarum carebant exemplo. Quod cum libro illo manuscripto inventum est. Nempe quae in vulgatis folio in alienum locum transposito post cap. XI leguntur (*καὶ οὐνοπωλῶν — παῖδες μὴ λάβωσι*), ea in Vaticano XXX^{mo} capiti recte inserta exstant. Hoc igitur nixi fundamento et, quod semel acciderit, saepius evenire potuisse opinati viri docti permulta ob levissimas haud raro rationes ab uno capite divellerunt et in aliud traiecerunt. E quibus Schneiderum, Blochium, Astium, Hartungium commemoro. Quid? quod fuerunt qui nova capita e veterum dissectis membris formarent? Ut Hartungiana editio non minus XXXIII praebet characteres. Multo cautius moderatiusque hoc transpositionis genere iam Duebnerus ac Fossius usi sunt. Petersenius vero et Ussingius, recentissimi editores, eo credulitatis superstitionisque processerunt, ut ille unum tantum locum, hic ne unum quidem versum in alienam notationem delatum esse censeret. Neque mirum est, quod talis rationis Ribbeckius (Mus. Rhen. XXV, p. 137 — 146) adversarius exstitit maiorem quandam commendans licentiam.

Adeo igitur criticis etiamnunc inter sese de hac re dissidentibus operaे pretium videtur esse, quatenus tandem in Theophrasteo libello partium in alios characteres transpositio adhibenda sit, quam accuratissime anquirere.

Antequam ad singula accedamus, quaeramus oportet, num omnino eiusmodi translatio idoneam habeat excusationem. Quae mihi quidem videtur non deesse; primum enim Theophrasteum opusculum bis saltem per librarios in angustum coactum esse ex vulgata recensione

*) Commentatio ab amplissimo philosophorum Marburgensium ordine praemio ornata.

et Monacensi epitoma cognoscitur. Num etiam Vaticanus codex pristina breviorem formam praebeat, dubium est, quia pleniore adhuc caremus. Fortasse autem non erramus, si in ipso archetypo eius libri, ex quo Vaticanus una cum vulgatis et Monacensi fluxerunt, non statim ab initio omnes, quas nunc tenemus, notas exstisset, sed haud paucas fuisse omissas et postea demum accessisse suspicamur. Quibus si margines impleti erant, quid mirum eum, cui orationis connexui illas inserendi negotium mandatum erat, aliquot errore deceptum proximo capiti attribuisse? Praeterea tanta similitudo est inter quosdam characteres, ut quae notae per plura capita dispersae sunt, ad unum idemque revocandae videri possint. Quo nescio an factum sit, ut librarii sive alii, quos acre ac subtile iudicium deficeret, nonnullas sententias etiam in remotiores notationes allegarent. Denique unus certe locus est, quem perverse positum esse recentiores editores praeter Ussingium omnes consentiunt, capitinis XIX dico finem καὶ τὸς ὀρνιθοσκόπου — οἰνοχόῳ. Quare hoc transpositionis genus, modo satis iustae causae adsint, non prorsus esse reiciendum censeo. Sed summa cautione uti semperque sapientis viri illud: „Ne quid nimis“ reminisci oportet.

His praemissis iam in medias res nobis transeundum et statim in prima notatione subsistendum est, quae in suspicionem venit, quasi alieni aliquid exceperit. Ribbeckius enim (Mus. Rh. XXV, p. 143) verbis καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν κατὰ σπουδὴν βουλομένοις προστάξαι ἐπανελθεῖν (pag. 122, 11 apud Petersenium, cuius editionem in locis Theophrastei libelli citandis semper sequar) eundem hominem describi putavit, de quo cap. XXIV (*ὑπερηφανίας*) p. 148, 12 haec leguntur: οἵος τῷ σπεύδοντι ἀπὸ δείπνου ἐντεύξεσθαι φάσκειν ἐν τῷ περιπατεῖν. Ac profecto videntur primo obtutu hae duae sententiae non solum ad unum characterem spectare, sed eandem fere notam exprimere. Tamen ex hac ipsa re difficultas existit haud exigua, quam Ribbeckius non potest eo solvere, quod verba capitinis I supra apposita geminam scripturam dicit esse similium illorum ex cap. XXIV allatorum. Nam etsi in hoc libello interdum idem codex varias lectiones exhibit singulorum vocabulorum, unde, quae unum exemplum expromes, quo id ad totas notas pertinere probetur? Ceterum similitudo, quae duo illa enuntiata notationibus inserta diversis coniungi inter se quam arctissime videtur iubere et tamen simul in eodem capite stare vetat, ea similitudo, inquam, est verborum, non sententiae. Atque tanta est differentia, quae quin de prorsus diversis agatur characteribus, dubitare nos iam non sinat. Quod enim in cap. XXIV homo vitiosus alteri propere ipsum convenire cupienti respondet, id, si quid video, non ideo notatur, quod festinanti colloquio dilato mora paretur, sed quia homo, qui omnes se excepto despicit, non domi sua, sed in via inter ambulandum aliis secum colloquendi dat facultatem maiore nimirum honore eos indignos iudicans. Vides igitur in verbis ἐντεύξεσθαι φάσκειν ἐν τῷ περιπατεῖν summam vim superbiae positam esse, cuius in verbis προστάξαι ἐπανελθεῖν nec vola nec vestigium. Nam si quis propere colloquium petentem postea reverti iubet, hic, ut de eo taceamus, qui iustis rationibus adducitur ideoque omnino caret vituperatione, aut cum impedimenta simulat, εἴρων nominandus est aut, cum non simulat, inhumanus, quem Theophrastus αὐθάδη dicit et cap. XV deseribit. Tertium non datur. Apparet igitur v. καὶ τοῖς — ἐπανελθεῖν cavillatori optime convenire, dummodo causa aliqua ficta ipsis vel subsequentibus contineatur. Quae cum in illis non reperiatur, plurimi interpretes ad ea supplenda ex proximis quaedam assumunt. Alii contra additamento opus esse negant. Ut Ribbeckius, qui priore opinione mutata (Mus. Rh. XXXI, p. 395) notam antea in suspicionem vocatam ipse suo loco servari posse concedit, praetextorum mentionem non desiderat, cum vim vocis εἴρωντα hic ad merae

inertiae significationem depressam esse statuat aliorum festinationi oppositae. Sed quamquam interdum sane hoc vocabulo segnitiam quandam exprimi negari nequit, tamen ubicunque id fit, segnities semper cum sui excusandi studio coniuncta est, ita ut propria notio nunquam funditus pereat. Velut Demosthenes quod in I contra Philippum orat. § 7 dicit: ἀν τοίνυν, ὁ ἄνδρες Ἀθηναῖοι . . . ἔκαστος ὑμῶν, οὐδεὶς καὶ δύναται ἀν παρασχεῖν αὐτὸν χρήσιμον τῇ πόλει, πᾶσαι δέρεις τὴν εἰρωνείαν ἐτοιμος πράττειν ὑπάρχει, civibus suis non solum ignaviam obicit, sed etiam, qua hanc velent, virium propriarum dissimulationem. Similiter igitur homo noster languorem suum aliqua causa prolatas tegere putandus est idque Theophrastus disertis verbis exposuisse, quippe quod sit gravissimum. Nam alioquin ille fieri non potest quin iners, sicut est, etiam ab omnibus habeatur, tametsi quovis modo studet veritatem celare. Quae si recte a me disputata sunt, v. καὶ τοῖς ἐντυγχάνειν — ἐπανελθεῖν non integrum notam efficiunt, sed additamento egent, quo praetextum aliquod indicetur. Patet deinde hoc eis, quae illa in codicibus excipiunt, καὶ μηδὲν, ὁν πράττει, ὁμολογῆσαι, ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι contineri non posse. Quae vero deinceps sequuntur, καὶ προσποιήσασθαι ἄρτι παραγεγονέναι, καὶ ὅψε γενέσθαι αὐτῷ (ita αὐτὸν cum Fossio corrigendum censeo), καὶ μαλακισθῆναι, cum per se suspicionem movent, quia et ipsa fragmentum tantum notae efficiunt neque hoc loco habent quo referantur, tum ea praeclare suppeditant, quae paulo ante requiruntur. Quapropter haec verba summo iure Schneiderus post ἐπανελθεῖν collocavit, et plerique ei assensi sunt. Iam plenam habes notam ex duabus partibus constantem, quae in vicem sibi integritatem reddunt; prior enim causam et occasionem simulationis significat, posterior simulationem ipsam. Sententia aptissima est: si quis cavillatorem convenit de re gravi, quae moram non patitur, collocuturus, hic redire eum iubet et causatur modo se advenisse, sero sibi esse, aegrotare sese.

Iam quaeritur, num verbis καὶ μηδὲν, ὁν πράττει, ὁμολογῆσαι, ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι sic e sede sua expulsis proxime inferiorem assignare satis sit. Quod non ita videtur; nam cum et in antecedenti nota et in subsequenti de certa simulationis occasione sermo sit, vides quam incommodo inter utramque ista universe dicta interponantur. Suspiceris igitur me Fossii rationem probare, qui enuntiatum exsulans verbis καὶ [πωλῶν λέγειν] ὡς οὐ πωλεῖ praemitti vult. Sed ne is quidem mihi satisfacit; nam quod inde a v. καὶ [πωλῶν λέγειν] ὡς οὐ πωλεῖ usque ad μὴ μεμνήσθαι (l. 16—19) exemplis Theophrastum ea illustrare putat, quae universe sententia καὶ μηδὲν — βουλεύεσθαι proposuerit, id verum esset, si huius posterior pars ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι abesset. Qua simulationis genus indicatur ab eo, quod primis notarum lacunam excipientium describitur, satis diversum. Nempe homo falsus cum nihil eorum, quae agit, certo profiteatur, sed adhuc meditari se dicat, non totam veritatem, sed partem tantum celat; robustioris contra cavillationis indicia eis continentur, quae l. 16—18 reperiuntur: καὶ [πωλῶν λέγειν] ὡς οὐ πωλεῖ, καὶ μὴ πωλῶν φῆσαι πωλεῖν, καὶ ἀκούσας τι μὴ προσποιεῖσθαι, καὶ ίδὼν μὴ ἐωρακέναι: cum quid vendit, praeceps id infitiat; cum nihil vendit, tum vendere se pro certo affirms; si quid vidit, simulat se non vidisse. Haec igitur nullo pacto potuerunt notae, cui sedem quaerimus, tamquam exempla subiuncta esse. Egregie vero ad eam congruunt, quae deinceps sequuntur: καὶ ὁμολογήσας μὴ μεμνήσθαι, καὶ τὰ μὲν σκέψεσθαι φάσκειν, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι, τὰ δὲ θαυμάζειν, τὰ δῆδη ποτὲ καὶ αὐτὸς οὕτω διαλογίσασθαι. Namque in his quoque illam simulandi dissimulandique mediocritatem, ut ita dicam, deprehendas, quae inter sinceram veritatem et perfectam infitiationem media est: si quid cavillator professus est, non professum id se esse, sed meminisse

negat; consulenti se rem in deliberationem vocaturum esse respondet, quamvis certum ei iudicium illio praesto sit; rem sibi notam cum nec vere nec falso narrare audeat, non nosse se causatur; de facinore familiaris alicuius certior factus non, ut homo simplex et candidus, exclamat: „Iamdudum tale quid praesensi“ aut: „Credere non possum“, sed tantummodo: „Hem“, inquit, „quam mirum!“ Cum quis eiusmodi res profert, quae nullam patientur dubitationem, se quoque iam antea similiter cogitasse affirmat. Praeterea participium δμολογήσας ad praecedentem illum infinitivum δμολογήσαι spectare videtur, cum utriusque formae eadem notio profitendi subsit; nam eorum opinio, qui δμολογήσας contendebant significare: si quid promiserit sive spoponderit, iamdudum explosa est.

Quibus rationibus ductus Hottingerum et Blochium iure v. καὶ μηδὲν — βουλεύεσθαι post ἔωρακένα relegasse iudico, et in eandem sententiam videtur Ribbeckius (M. Rh. XXXI, 390) discedere.

Ac de primo characterismo hactenus; iam plana via nullis difficultatibus retardati usque ad quartum (ἀγροικίας) progredi possumus, cui tres notas abiudicarunt. Primum enim Meierus (opusc. II, p. 258) quae pag. 126, 13 leguntur: καὶ τὸ ἀργύριον δὲ παρὰ τοῦ λαβὼν ἀποδοκιμάζειν, λαν μὲν λυπόν εἶναι, καὶ ἔτερον ἔμα ἀλλάττεσθαι, temere in hoc caput illata et potius superbi aut suspicacis characteri tribuenda esse coniecit. Ribbeckius quoque (M. Rh. XXV, 141) transpositionem necessariam esse iudicat, sed μεμψιμοιδίας notationem (XVII) ea vult locupletare. Verum ante omnia verba consideremus, quae sana non esse quivis videt. Iam pridem enim in verbis λαν μὲν λυπόν εἶναι cum particula μέν erat offensioni, tum λέγων desiderabatur. Itaque multi Casaubono adstipulati sunt, qui λαν λέγων λυπόν εἶναι legi voluit. Etiam nobis haec emendatio arridet, praesertim cum Duebneri animadversione firmari videatur in codice Parisiensi A siglam non μέν, sed μένον significare indicant. Verum λυπόν, quod nonnulli corruptum putaverunt, in ore hominis rustici fortasse ferri potest. Cum enim illud adiectivum de soli macie usurpari soleat, num agricolam ad tenuitatem nummorum transferre mirum est? Sententia igitur totius enuntiati haec est: cum pecuniam debitam ab aliquo accepit, ut nimis tenuem reicit simulque cum aliis nummis commutat.

Quod iam ad virorum illorum doctorum de nota ipsa suspiciones attinet, certe Ribbeckius vix opinionem suam eo commendaverit, quod verba capiti IV erepta XVII^{mo} attribuit. An hominem, qui cum res, quae ipsi debentur, recepit, aliqua de causa indignatur, eodem iure vocari putas μεμψιμοιδον atque eum, qui etiam bonis benignitate sive hominum sive deorum sibi donatis queritur? Debitum autem, non donum verbis τὸ ἀργύριον significari articulus demonstrat. Et licet hoc largiamur, tamen certe donandi significatio aperta et clara desideraretur. Praeterea auctor, cum in extrema parte characterismi XVII homini inique querulo stipem a familiaribus collatam donari faciat (καὶ ἔργανον εἰσενεχθέντος ο. τ. λ.), ut hoc munus ab altero discerni posset, disertis verbis exponere debuit, unde et qualem illam pecuniam acciperet.

Quae cum ita sint, istam notam ad cap. XVII nihil pertinere patet. Neque magis, id quod Meiero videbatur, superbi characteri apta est. Nam ille homo, qui acceptos nummos reprobat aliisque permutat, id non ob alterius contemptum facit, sed ut ipse verbis λαν λέγων λυπόν εἶναι indicat, quia pecuniam pro falsa habet fraudemque suspicatur. Quare alteram fortasse Meieri conjecturam quispiam probaverit atque diffidentiam existimarit depingi. Et profecto diffidentiam in tali agendi ratione inesse quis neget? Sed etiam concedendum est

eam minime abhorre a moribus rustici, utpote qui initio capitinis (p. 125, 25) verbis *καὶ τοῖς μὲν φίλοις καὶ οἰνοῖς ἀπιστεῖν* manifeste huius vitii arguatur. At ubi est rusticitas? An quisquis suspicax est, idem est rusticus? Nihil minus, at homo noster peculiari est suspicione, quae cum impudentia quadam et protervitate est coniuncta. Quin accuratius inquirimus, quo cum nobis res sit? De agricola agitur, cui cum ager gregesque omnes fere res ad vivendum necessarias praebant, haud ita crebro in urbem descendere solet; nam etiam earum rerum paucarum, quae ex hac ei petendae sunt, ut hodie quoque fit, plerumque magnam copiam simul in plures dies vel menses coemit. Itaque multo rarius pecuniam in manum accipit quam oppidani, qui quotidie cum negotiantibus habent commercium, neque facile nummos forma et magnitudine haud ita diversos discernere poterit, nisi signum impressum inspicerit. Atqui alicuius rei imperitia homines cautos, anxios, diffidentes fieri experientia ipsa docet. Talis paganus noster: nummum aliquem tenuem usuque tritum reicit iusto nimirum leviorem pretioque deteriorem putans neque alio ipse mutare veretur, cuius nota sit dilucidior. Ea igitur est rusticitas ex imperitia nimiaque suspicione nata, quae iure irridetur. Atque iam neminem spero miraturum esse, quare homo, qui in ceteris rebus minime elegantiae munditiisque studeat, argenti nitoris adeo sit cupidus.

Sed haec hactenus de prima nota. Sequuntur v. *καὶ εἰ τὸ ἄρωτρον ἔχοντεν ἢ χόφινον ἢ δρέπανον ἢ θύλακον, ταῦτα τῆς νυκτὸς κατὰ ἀγροπνίαν ἀναμιμησκόμενος*. Lacuna manifesta aptissime *ἀπαιτεῖν* verbo expletur iam a Casaubono proposito, quod non ante *ταῦτα*, sed post *τῆς νυκτὸς* addendum censemus, quo facilius intellegatur haec ad infinitivum spectare, non ad participium *ἀναμιμησκόμενος* tali additamento nimirum propter v. *κατὰ ἀγροπνίαν* haudquaque egens. Quae praeterea nonnullis haesitationis ansam praebuere, non recte intellecta videntur. Articulo enim voci *ἄρωτρον* praemisso, quem haud pauci in indefiniti pronominis dativum *τῷ* mutarunt, indicatur rustico unum aratum esse, cum res praeter hoc enumeratas complures possideat. Neque minus recte condicionalis enuntiati forma se habet, quam Fossius probante Hanovio (symb. critic p. 7) sermonis Graeci indoli aptiorem opinatur fore, si legatur *ἔτεν — χρήση*. Immo multo praestat tradita scriptura, quoniam *ἔτεν* particula cum coniunctivo coniuncta enuntiationi nostrae nimis generalis inderetur sententia, quasi quod hic de rustico commemoratur, saepius repeti esset probabile. Quid? num talem, qui si semel quid vicino utendum permisit, anxietate adeo vexetur, ut statim reposcat, iterum commodaturum putas?

Iam quid de hac nota iudicaverint Meierus et Ribbeckius, est quaerendum. In *ἄγοινον* cadere eam uterque negat, sed ille (opusc. II, 259) aequa bene in *ἀπιστεῖν* atque in *ἀκαρδαῖν* (cap. XII) quadrare censet, hic (M. Rh. XXV, 140) ad posteriorem omni dubitatione abiecta inclinat. Et profecto verba non accuratius perscrutanti nullum caput dignius videatur, quod ea recipiat, quam illud, quo homo intempestivus describitur. Tamen ipsa verba *τῆς νυκτὸς*, quae ad eam opinionem pellicere possint, falsam esse docent. Nam si id tantum scriptor voluit notare, quod non, ut decet, interdiu, sed noctu res commodatae repetuntur, cur tandem articulo adiecto certam significavit noctem diei videlicet, quo res commodantur, proximam? Cum hoc autem aliud cohaeret; *ἄκαρδον* enim ea dicere et facere constat, quae per se quidem proba et haud inconcinnia sunt, sed propterea molesta et inepta fiunt, quod intempestive dicit aut facit. Atqui aratum vel corbem vel falcem vel saccum commodatum paucis horis praetermissis reposcere, ut alienum tempus omittam, num per se omnino nulla reprehensione dignum esse putas? Valde inhumanus est parumque urbanitatis peritus, qui non exspectet, quoad alter commodata sua

sponte reddat, nisi forte is iusto diutius retineat. At ne iustum excusationem esse homini nostro fingamus, quid prohibet? At haec Theophrasto disertis verbis exprimenda erat. Quorsus, inquies, tales ambages, cum cardo rei non in reposcendo versetur, sed in intempestive reposcendo? Quasi pravum hominem praviorem etiam, quam est, effingere nihil sit. Et tamen quam facile haec iniustitia potuit evitari uno duobusve verbis adiectis, quibus res commodatas iusto diutius retentas esse indicaretur! Aut igitur res dilucidius exponenda fuit aut omnino aliud exemplum delegendum. Nam quae cap. XII, p. 136, 1 scripta videmus *καὶ θύοντας καὶ ἀναλίσκοντας ἥκειν τόπον ἀπαιτήσων*, frusta cum Ribbeckio in auxilium vocaveris, quandoquidem nemo vir sanus, credo, usuras ante diem, in quem eadunt, exigit et idcirco illas suo tempore non solutas esse aperte exprimere prorsus erat superfluum. Ex his omnibus intellegitur notam supra exhibitam ad *ἀξιολογίας* characterismum non pertinere.

Quod autem Meierus diffidentiam ea describi existimat, primum meminerimus hoc vitium non raro cum rusticitate coniunetum apparere et ab hac parte nullam causam esse transpositionis; deinde non diffidentia sola loco nostro vituperatur, sed etiam importunitas illa ne soporem quidem aliorum curans. Restat igitur, ut, quidnam hic reperiatur rusticitatis, exponamus. Ac nescio an rustici indeoles clarius perspiciat, si ei urbanum opponimus, quomodo in eiusmodi condicione se gerat, quaerentes. Is nimurum, nisi ipse in omnibus rebus et in quemlibet hominem suspiciosus est, de pagani anxietate inani et puerili satis mirari non possit. Nam in urbe non modo negotiorum genera valde varia sunt, ob eamque causam ad ea exsequenda alii aliis rebus utuntur, sed etiam multi interdum talium indigent, quae non ad quotidianarum suarum occupationum orbem pertinent neque in tempus perpetuum comparantur, et quia haud ita crebro opus sunt, et quia, cum opus sunt, alios sibi commodaturos confidunt. Ita factum est, ut apud oppidanos nihil frequentius sit quam mutuum dare et mutuum sumere. Nemo igitur viles certe res vicino commodare dubitat aut timebit, ne sibi deteriores aut omnino non reddantur. Aliter ruri res se habet; neque enim nostrorum temporum viros oppidis iam similiores factos licet cum antiquis comparare. Immo illa aetate omnes pagani in una eademque re versabantur, in agricultura et pecuaria cum illa arte coniuncta. Eadem autem negotia eadem instrumenta postulant; ergo vicanis commodandi mutuandique occasionem multo rarius factam esse verisimillimum videtur, quandoquidem alter vix quidquam possidebat, quod deesset alteri. Quodsi verum est animos novitate et insolentia perturbari ac sollicitari, quanto magis hoc cadit in tam pusillum hominem, qualem ex priore nota cognovimus! Si quando vicinus nescio quo casu coactus eum rogat, ut sibi saccum utendum det vel falcem vel corbem vel etiam aratum, commodat, ne inhumanus videatur, sed non libenter et postea sibi ipse imprudentiam obicit neque prius angore liberatur, quam noctu surrexit et quietis aliorum nulla habita ratione res commodatas repetiit. Quanta est haec importunitas, quae quin iure rusticitas vocetur, iam dubio obnoxium esse nequit!

Hac nota absoluta veniamus nunc ad tertiam earum, quae scrupulos moverunt. Inter sermones enim, quibus homo rusticus in urbem descendens aures primi cuiusque, qui ei obviam fit, onerat, haec quoque leguntur (p. 126, 19): *καὶ εἰ σήμερον ὁ ἄγων νονυμρίαν ἔχει*. Quae verba loco suo movenda esse et garrulo capite III (*ἀδολεσχίας*) descripto tribuenda censem Hartungius pro particula *εἰ* iubens *ώς* scribi. Sed sic ut verba tradita sunt, ne in garruli quidem ore possunt intellegi. Nam quid tandem vox *ἄγων* hic sibi velit, dictu est per difficile minimeque probandum, quod Hartungius vertit die *Verfammlung*, cum talem notionem nisi apud poetas

habere nequeat atque quinam conventus ea significetur, prorsus maneat obscurum. Alii putarunt *εἰ σήμερον ὁ ἀγῶν νομηρίαν ἔγει* rustice dictum esse pro *εἰ ἡ νομηρία ἔγει τὸν ἀγῶνα*: numquid hodie nova luna ludos adducat. At ea orationis inversio inepti esset, non rusticci. Neque multo meliores ceterorum videntur interpretandi vel emendandi rationes. Quare ὁ ἀγῶν in ἡ ἀγορά mutandum esse arbitror. De foro enim nundinisque agi et ex commemorato interlunio, quo Athenis mercatus habebatur, et ex verbis, quae proxime antecedunt, πόσου ἥσαν αἱ διφθέραι καὶ τὸ τάροιχος, satis perspicuum est. Atque quod forum novae lunae diem celebrare dicitur, ingenio rusticci quam aptissimum est. Homunculus in urbem venit nundinatum de nulla alia re nimirum cogitans et fori intrandi flagrans cupiditate, atque si quis ei obviam fit quamvis prorsus ignotus, nihil habet antiquius, quam ut quaerat, quanti vilissimae res, pelles et salsa menta, venierint, quasi id tanti momenti sit, ut nemo debeat ignorare. Ideo tam grandiloquus, tamquam nundinae ut ipsi ita foro quoque dies festus sint et tabernae mercesque in medio propositae eius sollemnis habitus. Sed ne sic quidem omnes dubitationes sublatae sunt; nam quidquid pro ἀγῶν reponi iubes, nullam aliam quaestionem eruas nisi hanc: num hodie nundinae sint. At quis tandem, quaeso, prius sciscitur, quanti illud et illud constet, tum demum num hodie mercatus habeatur? Ea de causa duae illae quaestiones utique sedes inter se mutant oportet: iam optime cohaerent et stuporem produnt vere rusticum.

Atque haec quidem de IV capite; sequitur ἀρεσκεῖας adumbratio difficultatum satis plena. Neque enim duas tresve notas, sed maiorem totius capituli partem addubitarunt et alias ad alium characterem rettulere. Et primus quidem Casaubonus quae inde a verbis *καὶ πλειστάκις δὲ ἀποκείσθαι* usque ad finem leguntur, prorsus aliis generis esse censuit ac quae hactenus antecedunt, quia in iis omnibus non blanditia illa initio descripta cerneretur, sed „inepta quaedam virtutum imitatio cum non minus inepta opum ostentatione“. „Quare“, inquit, „existimo tam eius capituli, quod est περὶ ἀρεσκεῖας, finem hodie desiderari quam sequentis initium. Cuius capituli haec pars est: quam male feriati librarii praecedenti capiti agglutinavere prorsusque humano capiti cervicem iunxerunt equinam.“ Et novo quem finxit characterismo *περὶ βανανός* vel ἀπειρονάλιας titulum vult fieri. Hanc sententiam alii amplexi sunt; Blochius vero, cui Hartungius assensus est, sine haesitatione infelicissime *μεγαλοπρέπειαν* proposuit, quam virtutem, non vitium esse constat. Sed praeter illorum interpretum opinionem altera prolata est primo ab Ansaldo Cebà, viro docto Italo, qui alteram capituli V partem cum *μικροφύλοτυπίας* notatione (XXI) coniungendam esse putavit. Ei Astius, Duebnerus, Fossius adstipulati sunt. Vides igitur satis magnum esse eorum numerum, qui Casaubonum secuti plus dimidium ab ἀρεσκεῖας descriptione alienum iudicarunt.

Tamen non defuerunt, qui codicem auctoritatem tueri dubitationesque removere studerent. Ut iam Clericus finem capituli cum initio optime concinere observavit, dummodo ἀρεσκος latiore sensu intellegetur is, qui „omnibus placere studeret verborum comitate, obsequio, cultus elegantia, liberalitate et sumitibus“. Sed tam paucis verbis — plura huius viri docti certe neque Fischerus neque Astius afferunt — locus tam difficilis non absolvitur. Neque mirum est, quod praeter Coraem nemini ille persuasit. Idecirco Petersenius denuo et accuratius quidem uberiusque rem tractavit (ed. 84 sq.). Qui quamquam novis argumentis Casauboni opinionem impugnavit atque etiam nonnullas notas tetigit, tamen eas ipsas, quae mihi maxime inter-

pretatione videntur egere, prorsus silentio praeterit. Et eum Ussingius cum Petersenio consentiens in eius argumentatione acquieverit, tota quaestio adeo non est absoluta, ut Ribbeckius potius (M. Rh. XXV, 139) in illorum sententia perseverandum esse contendenter, qui verba ad dubitata ad cap. XXI transtulerunt, etsi eas notas, quae ad habitus elegantiam spectant (*καὶ πλειστάνις — ἀλείφεσθαι*), suo loco relinqui posse concessit.

Virorum doctorum dissensionem cognosti recentiorum non minus magnam quam priorum; nunc in ipsam rem, de qua disceptatur, accurate inquiramus et quid tandem de ea statuendum videatur, exponamus. Ante omnia autem quaeritur, quamnam notionem in voce ἀρέσκεια Theophrastus voluerit inesse. Et Casaubonus quidem quique cum eo faciunt, Aristotelica potissimum huius vitii definitione Eth. Nicom. IV, 6, 1 posita adducti sunt, ut notionem constituerent angustiorem. Ibi enim ἀρέσκεια affinis dicitur esse πολαχείᾳ et utraque ex altera parte φιλίᾳ opponitur. Sed huic uni testimonio duo alia sunt contraria. In Eudemis enim ethicis III, 7 ἀρέσκεια et ἀνθάδεια utrumque σεμνότητι ut mediocritati opponuntur, et idem a Theophrasto factum esse testatur Stobaeus. Atqui σεμνότης latius patet quam φιλία, quoniam eius propria est, qui non solum cum amicis suis, sed cum omnibus, quibuscum ei res est, ita vivit, ut convenit. Sequitur, ut vitium quoque illi oppositum, ἀρέσκεια, non tam exiguis finibus contineatur quam πολαχείᾳ, cui ab Aristotele 1. l. propinqua esse dicitur. Denique si ἀνθάδους indolem in memoriam revocaveris sibi uni placentis, iam minime miraberis ἀρεσκον a Theophrasto ita describi, ut non meram blanditiam et assentationem, sed omnibus omni modo placendi studium agnoscas.

Notione igitur constituta deinceps examinandum erit, annon illae quoque notae ei respondent, quae suspicionem moverunt. Ac de primis verbis (*καὶ πλειστάνις — ἀλείφεσθαι*), quibus homo externae speciei nitorem ostentans depingitur, licet nobis esse brevibus. Nam quicunque faciei exornanda deligendoque vestitui tam praestantem dat operam, is nimirum bellus apparere et, cum quidquid est bellum, semper voluptatem paret, ob hanc rem placere cupit. Multo vero difficilia sunt explicatu, quae proxime sequuntur, καὶ τῆς μὲν ἀγορᾶς πρὸς τὰς τραπέζας προσφοιτᾶν, τῶν δὲ γυμνασίον ἐν τούτοις διατρίβειν, οὐδὲ ἔφηβοι γυμνάζονται τοῦ δὲ θεάτρου καθῆσθαι, ὅταν γένεσθαι, πλησίον τῶν στρατηγῶν. Certe ultima nota ab ea, quae cap. XXI (p. 144, 18) prima commemoratur, οἶος σπουδάσαι ἐπὶ δεῖπνον υἱηθεὶς παρ' αὐτὸν τὸν καλέσαντα πατακείμενος δευτηῆσαι, adeo non differre videtur Ribbeckio, ut in eundem characterem utramque cadere persuasum habeat. Ac profecto homo in theatro locum praetoribus proximum sibi eligens facile in suspicionem venire possit, quasi honoris cupidine trahatur et ipsum se inter praetores velit numerari. Simili modo is, qui ad argentariorum mensas accedit, ubi nobiliores et ditiores versari solent, famam videatur captare opulentiae. Sed aliter iudicandum esse media nota docet. Etenim hominibus yanis laudisque avidis nullam aliam ob causam gymnasia, ubi se adolescentes exercebant, frequētare mos erat, nisi ut illis ipsis essent admirationi. Et hac nota illae illustrantur, quas eiusdem generis esse vel structura demonstrat. Ἀρεσκος igitur quo plurium ora in cultus habitusque sui nitorem convertat, frequentissima loca obire solet et imprimis id agit, ut homines divitiis vel dignitate insignes se conspiciant atque admirentur, quibus placere maximi faciat. Ob hanc rem in foro prope argentariorum mensas stat, ob hanc causam in theatro iuxta civitatis sedet primores.

Istas notas excipiunt hae: καὶ ἀγοράξειν αὐτῷ μὲν μηδὲν, ξένοις δὲ εἰς Βυζάντιον ἐπιστάλματα, καὶ Λακωνικὰς κύνας εἰς Κύζικον καὶ μέλι Τυρητιον εἰς Ρόδον· καὶ ταῦτα ποιῶν τοῖς ἐν τῇ πόλει διηγεῖσθαι. Quarum ut recte intellegatur sententia, primum qua ratione corrupta vox ἐπιστάλματα emendanda sit, videamus. Minime enim omnium Hottinger et Astius probandi sunt, qui ἐπιστάλματα res per litteras mandatas esse censem et post v. ξένοις δέ collocant praeterea ante εἰς Βυζάντιον nomen rei mandatae et Byzantium mittendae intercidisse statuentes. Et praecipue interpretatio illa vocabuli ἐπιστάλματα quam maxime ἀρέσκου indoli repugnat. Nam qui hospitibus aliquid mittit ab ipsis rogatus, is non nimio placendi studio, sed potius facilitate et comitate est laudabili. Quare forma ἐπιστάλματα insuper aliunde non nota retineri omnino nequit, atque cum praeterea verbum mittendi desideretur, videntur et hoc et nomen aliquod, quod donum mittendum significat, in unum illud vocabulum coaluisse. Probabilissime autem cum Fossio corrigas ἀποστ[έλλειν] ἀλμάδας vel cum Meineckio (Philol. XIV, 405) ἀποστ[έλλειν] ἀγάλματα. Iam loci sententia ἀρεσκείας characteri est aptissima. Nam si ulla re, certe munificentia efficies, ut hominibus gratus sis atque iucundus. At cur ἀρεσκός munerum hospitibus emptorum apud cives suos mentionem facit? Nimirum cum liberalitas non solum fructum ex ea capientibus, sed omnibus per se magnopere placeat, fama eius per urbem dilata praeter amicorum peregre habitantium voluntatem etiam domi popularem gratiam sibi studet conciliare.

Iam Theophrastus ita pergit: ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινὸς καὶ τίτυρον κτήσασθαι καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ δορυφόλους ἀστροφύλους καὶ Θουριακὰς τῶν στρογγύλων ληκύθους καὶ βαυτηρίας τῶν σκολιῶν ἐν Λακεδαιμονος καὶ αὐλαίαν ἔχουσαν Πέρσας ἐννυφασμένους.*). In primis verbis aliquod mendum latere quivis intelleget. Nam cum τίτυρος simiarum singularis fuerit species, offendas in vocabulis πίθηκον et τίτυρον particula καὶ connexis. Quamobrem recte Meierus (comm. V, p. 260) alterum καὶ post τίτυρον transponi voluit. Praeterea θρέψαι apte ad animalia refertur, κτήσασθαι autem ad ceteras res, ut iam Blochius observavit, ita ut trajectione admissa totus locus sic videatur restituendus: ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι δεινὸς τίτυρον καὶ Σικελικὰς περιστερὰς καὶ κτήσασθαι δορκ. z. τ. λ.

Eas quas hic enumeratas invenimus res elegantia raritateque notabiles nec non simiam et columbas Siculas aequie ac graculum, cuius cap. XXI, p. 144, 22 mentio fit, clipeolo aeneo armatum et in scalula exsultantem aliorum laudis admirationisque comparandae gratia empta esse indicat Ribbeckius (M. Rh. XXV, 132 sq.). Cui fini illa inservire posse fatemur, debere negamus. An hominem nostrum, qui, ut iucundus et dulcis appareat, omnibus modis enititur, eos, qui ad illum veniunt, suaviter delectare velle absonum est? Certe oblectabuntur istis rebus, domum eius ita exornatam libenter frequentabunt, eius consuetudinem et familiaritatem consectabuntur. Et quid amplius concupiscit ἀρέσκος?

Sed multo magis illud non tam vanae gloriae quam aliorum favoris aucupium in ultima parte capit is conspicitur, quae ita legitur: καὶ αὐλίδιον παλαιστικιῶν κόνιν ἔχον καὶ σφαιριστήριον (sc. κτήσασθαι) καὶ τοῦτο περιūών χρῆσαι ἀεὶ τοῖς φιλοσόφοις, τοῖς σοφισταῖς, τοῖς ὀπλομάχοις, τοῖς ἀρμονικοῖς ἐπιδεικνυσθαι καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν ὑστερον ἐπεισιν ἐπὶ [τῷ ἔτερον εἰπεῖν] τῶν θεωμένων πρὸς τὸν ἔτερον δτι Τούτου ἐστὶν ή παλαιστρα. Meierus quidem, quippe qui de fine huius notationis et ipse in Casauboni discesserit sententiam, ut ἀρέσκου ingenium quam plurimum obscuraret, περιūών suo loco removit et inferius collocavit (comm. V, 260);

*.) Verba diductis litteris exhibita in ed. Petersen. operarum, ut videtur, incuria absunt.

„neque enim“, inquit, „credibile est μιχροφιλότιμον aedes suas philosophis, sophistis, aliis ad ἐπιδείξεις faciendas non solum commodare, sed etiam circumire rogareque, ut illas ab sese commodatas accipient.“ Et profecto μιχροφιλότιμος eo usque descendere forsitan vereatur; verum ipsum illud περιέσθιν ante χρήσια positum persuadere potius debebat, credo, in ἀρεσκον haec verba cadere. Atque adeo isto loco περιέσθιν requiritur, ut, si abasset, vitii in hac nota, quae verbis καὶ τοῦτο — ἐπιδείκνυσθαι continetur, nullum reperiretur vestigium. Nam aream suam cum conisterio et sphæristerio philosophis vel sophistis vel artificibus ad exercitationes faciendas commodare rogatum — ita enim merum χρήσια accipendum esset — id humani est atque comis hominis. A quo ἀρεσκος ita differt, ut nimius sit in gratificando atque quoad illi se adeant, non exspectans potius ipse circumeat et ultiro palaestram suam offerat utendam. Ceterum participii περιέσθιν transpositione Meierus adductus est, ut in duos novissimos versus, qui codicibus corrupte traditi sunt, audacius grassaretur. Cum enim Parisienses A B verba ita exhibeant: ὑστερον ἔπεισιν ἐπὶ τῶν θεωμένων πρὸς τὸν ἔτερον ὅτι Τούτου ἔστιν ἡ παλαίστρα, magis deteriores libros secutus, qui εἰπεῖν pro ἔπεισιν praebeant et τὸν ante ἔτερον omiserunt, totum locum hoc modo scripsit: καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιδείξειν ὑστερον εἰπεῖν περιέσθιν τῶν θεωμένων πρὸς ἔκαστον, ὅτι αὐτὸν ἔστιν ἡ παλαίστρα. Promptissimum est inter ἐπὶ et τῶν lacunam statuere, quae optime cum Petersenio sic expletur: ἐπὶ [τῷ ἔτερον εἰπεῖν] τῶν θεωμένων πρὸς τὸν ἔτερον. Ita sententia evadit ἀρεσκον moribus prorsus conveniens. Non acquiescit iste eorum gratia, quibus aream praebuit, sed quo plurimum colligat benevolentiam, sese tam liberalem fuisse spectatores quoque omnes comperire cupit. Ea de causa inter exhibendas exercitationes congregatis iam spectatoribus (ὑστερον) supervenit, quo cunctorum oculos in se convertat, et unicuique, qui ipsius esse palaestram noverit, occasionem det id vicino suo insurrandi, a quo proximus quisque audiat. Idem igitur vides quam plurimis placendi studium, quod supra verbis καὶ ταῦτα ποιῶν τοῖς ἐν τῇ πόλει διηγεῖσθαι expressum invenimus. Sed forsitan illa Τούτου ἔστιν ἡ παλαίστρα ita aliquis accipiet, quasi homo descriptus non tam ob liberalitatem suam quam ob ipsam areolae possessionem velit sese praedicari. Et Ribbeckio haec interpretatio necessaria visa est. Quod si verum esset iudicium, negari non posset potius in μιχροφιλότιμα quam in ἀρεσκεια novissimam notam cadere. At aliter quoque verba perbene intellegi possunt. Nam cum Theophrasti aetate divites aedes suas poetis et aliis ad recitationes vel ἐπιδείξεις commodare solerent, non locare, satis erat indicare, cuius esset palaestra, quandoquidem commodatam eam esse per se perspiciebatur.

Ex his, quae de fine capituli V disputavimus, satis apparere confido eum aequo bene atque initium notioni illi convenire, quam Theophrastum cum vocabulo ἀρεσκεια coniungere supra ostendimus. Restat, ut breviter definitionem descriptioni praepositam consideremus, quam imprimis Fischerus contra notas addubitatas advocavit.

Priusquam autem de singulis videamus, id ante omnia tenendum est in hoc libello nusquam quaestionem de transpositionibus instituendam a solis definitionibus pendere. Nam cum aliae mancae, aliae perversae sint, non a Theophrasto ipso, sed ab eodem interpolatore videntur confectae esse atque clausulae capitum quorundam totiusque libelli prooemium neque, etsi Aristoteleis maximam partem similes sunt, praeter Zellium quemquam inveniant defensorem. Quamobrem nullam dubitationis ansam debet praebere, quod in nostra definitione ἡ δὲ ἀρεσκειά ἔστι μὲν, ὡς ὅφε περιλαβεῖν, ἔντενξις οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἡδονῆς παρασκευαστική vox ἔντενξις, ut Fischerus recte observavit, in posteriorem notationis partem haud bene quadrat.

velut in ea, quae ad hospites peregre degentes pertinent. Neque deest definitio, quae si non prorsus idem verbum, certe simile continet perperam usurpatum. *Αὐθάδεια* enim (cap. XV) ita definitur: ἀπήνεια διμίλιας ἐν λόγοις, et inter notas eius est haec (p. 138, 9): καὶ προσπτατσας ἐν τῇ ὁδῷ δεινὸς καταράσσασθαι τῷ λίθῳ, in qua equidem διμίλια nullum video vestigium, nisi forte homo dici potest lapidibus διμίλειν. Ceterum definitionum auctor ad tales voces, quales sunt ἔντενξις (etiam cap. XX), ἔπιτενξις (cap. XIII), διμίλια (cap. II et XV) videtur configuisse, ubi angustius valentes eum deficerent. Reliqua οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ ἴδοντης παρασκευαστική nullas difficultates parant, dum recte interpretemur. Duo extrema horum verborum omnino missa facere licet, quandoquidem illam placendi voluptatemque creandi cupidinem indicant, quam in unaquaque notarum supra perlustratarum satis patefecisse nobis videatur. Sed quae antecedunt οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ, nonnulli perperam interpretati sunt maxime propterea, quod veram vim praepositionis ἐπὶ neglexerunt. Mihi hoc loco ἐπὶ nihil aliud videtur significare posse nisi actionis eventum et sententia esse haec: ἀρέσκεια est conversatio voluptatem parans non ita, ut prosit. Ita Fischerus, Astius, alii verba recte intellexere. Sed in eo deceptus est Astius, quod illa οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ modo ad eum rettulit, cui ἀρέσκος voluptatem parare studet. Quae opinio neque necessaria est, si grammaticam spectas, neque omnibus notis convenit, quae altera parte capit is continentur. Nam ut munificentiam et nimium obsequium facile iis, quibus praestes, obesse concedo, cum non minus quam blanditia saepe ad nimiam aestimationem sui perducant, ita non perspicio, quomodo possis cultus elegantia aut raris pretiosisque rebus ad domum exornandam comparatis aliis nocere. Immo tibi ipsi talibus sumptibus nocebis rem familiarem brevi conficiuntibus. Idcirco v. οὐκ ἐπὶ τῷ βελτίστῳ generaliter dicta esse sententiamque hanc esse arbitror: homo nimis placandi cupidus voluptatem parat, sed ita ut obsit vel sibi ipsi vel alteri vel utriusque.

Tot verbis opus videbatur esse, ut maior pars capit is a tam multis incursionibus vindicaretur. Nunc vero ad decimam notationem pergere licet, quae de μικρολόγου est moribus. Is illiberali tenacitate peccans non solum sumptus vel in necessariis rebus, sed omnem quantumvis minutam rei familiaris suae iacturam evitare studet. Talis et verbis ή δὲ μικρολογία ἐστὶ φειδωλία τοῦ διαφόρου ὑπὲρ τὸν καιρὸν finitur et plerisque notis depingitur. Contra quae pag. 134, 3 leguntur, καὶ ἐάν τι πωλῇ, τοσούτου ἀποδόσθαι, ὥστε μὴ λυσιτελεῖν τῷ πριαμένῳ, potius in αἰσχρονερδῆ cap. XXX descriptum cadunt, ut Ribbeckius (M. Rh. XXV, 143) recte videt. Nam qui tanti aliquid vendit, ut emptori non prospicit, nimis magno pretio vendit itaque fraudem infert, quae extra sordidae parsimoniae modum prodit semperque e turpis lucri cupidine nascitur. Consimili modo αἰσχρονερδῆς amicum fraudat vinum vitiatum vendens (p. 156, 2). Quamobrem cum hac ipsa nota illa olim videtur cohaesisse et ante eam esse locanda.

Praetera Ribbeckius etiam v. δεινὸς δὲ καὶ ὑπερημερίαν πρᾶξαι καὶ τόκον τόκον (p. 134, 8) ex αἰσχρονερδείας notatione in X^{ημέρα} perperam illata esse arbitratur. At hac in re errat meo iudicio. Nam finge argentarium, qui feneratione quaestum facit, pecuniam apud aliquem fenore unciario occupasse ad diem certum, ut veteres solebant, et cum alias ternas centesimas amplius offerat, ut huic fenori det, ab illo sortem die praestituto repetere. Quodsi debitor eo tempore creditum solvere nequit, licet usuras solitas posthac quoque praestare possit, tamen creditori damnum contrahet, quippe cui gravioris fenoris accipiendi demat occasionem. Atque eiusmodi ut resarciat detrimentum, trapezita noster multam morae postulat. Quod quamvis sit sordidum

et iniquum, tamen non contra severum ius pugnat. Prorsus alius est homo turpis lucri studiosus qui non sicut *μικρολόγος*, quominus sui quidquam ad alios perveniat, impedire aut, si quid amiserit, restituere conetur, sed potius aliena, quae nullo iure poscere aut retinere debeat, fraudatione audeat arripere. Neque magis in altera parte notae (*τόκον τόκον* sc. *προάξει*) *αλσηροκέρδειαν* comprehendas, quamle Theophrastus adumbravit; nam tum quoque, cum usura ad diem non solvit, creditori damnum existit eo maius, quo longior est mora, quia intra hoc tempus usura ipsa instar capitis fenus ferre posset. Ergo tota sententia suo loco erit relinquenda.

Idem valet de nota proxime antecedenti καὶ τοὺς ὅρους δὲ ἐπισκοπεῖσθαι δσημέρωι, εἰ διαμένουσιν οἱ αὐτοί, quam ad ἀπιστίαν (cap. XVIII) referendam esse primus Blochius et post eum Astius, Fossius, Ribbeckius (M. Rh. XXV, 140) contenderunt. Sed iam alii senserunt haec verba non minus bene cum hominis restricti ingenio congruere, utpote cui fere diffidentia adhaereat. Atque Theophrasteus ipse *μικρολόγος* neminem per agrum suum transire sinit (p. 134, 5), ne quid decerpant, nimirum metuens. Accedit autem aliud, ex quo *μικρολόγιαν* clare agnoscas. Etenim ut hominis cauti est, quo fundum suum ab avarorum vicinorum rapinis defendat, terminos inspicere, ecquid eodem loco maneant, ita ad maiorem certe iacturam praecavendam interdum id facere satis erit. Quamquam etiamtum occultae fraudi aliquid spatii datur, cum difficile sit omnia finium insignia diu penitus memoria tenere. Tamen illud tam erit exiguum, quod curare vix operae esse pretium videatur. Nihilo secius parcus, qui pro sordibus suis vel minimo detimento occurrit, quotidie ad terminos festinat inspiciendos, ut quam accuratissime eorum notas animo affigat semperque in memoria habeat recenti. Non igitur diffidentia ipsa vituperatur, sed quae causa eius est, *μικρολογία*.

Proximo capite mores hominis impuri et impudentis (*βδελύφον*) effinguntur, qui illiberalibus in honestisque iocis risum movere studet, quamvis alios offendat. Hanc vero iocandi libidinem Fossius (comm. IV, p. 33) in verbis καὶ ὄψωνεν ἔαντῷ καὶ αὐλητῷδας μεθοῦσθαι (p. 135, 10) omnino desiderat. Quod non mirum est, si illa per se spectantur; neque enim quidquid pro mendoso ἔαντόν omnibus codicibus tradito posueris, sive ἔαντῷ cum Casaubono, sive cum Furlano αὐτός, sententiam extundes huic characteri ullo modo convenientem. Sed quominus cum sequentibus καὶ δεικνύειν δὲ τοῖς ἀπαντῶσι τὰ ὀψωνημένα καὶ παρακαλεῖν ἐπὶ ταῦτα priora coniungantur, praeter particulas καὶ — δέ, quae, ut concedendum est, semper novam notam indicant, etiam tibicinarum mentio obstare videtur inter v. καὶ ὄψωνεν et καὶ δεικνύειν δέ — τὰ ὀψωνημένα interiecta. Nam quidni, inquies, tibicinae quoque conductae obviam venientibus ostenduntur? His rationibus ductus Fossius superiorem enuntiationem pronomine ἔαντόν in αὐτῷ mutato capiti II inseruit atque p. 124, 8 post δυνατός ἀπνενστή collocavit, ita ut munericibus, quae adulator regi praestat, officium obsonandi et tibicinas conducendi addatur. At licet in hunc locum talem notam non male quadrare fateamur, tamen verba denuo executiamus et videamus, possintne in βδελυφίας descriptione ferri. Ante omnia igitur tenendum est ea sola, in quibus nihil lusus insit, non plenam notam conficere, sed arte cum proximis cohaerere. Tum autem particula δέ necessario inducenda erit. Deinde quod ad formam ἔαντόν attinet, unus Casaubonus verum vidit, qui ἔαντῷ correxit. Nam sic demum liquet, in quanam re iocus sit positus. Cum enim scurra noster non modo obsonaverit, sed forte etiam tibicinas conduixerit, obviam venientes facile in eam cogitationem incidere possunt istum convivium esse instructurum. Qua opinione ad eos ludendos abusus obsonia ostendit ad eaque invitat, quamvis sibi soli

emerit, non convivis. Hanc autem vim inesse in pronomine *ἴαντῳ* ex eo sequitur, quod omnibus ceteris locis, ubi verbum *όψωνεῖν* occurrit, tali additamento caret. Iam facile etiam intellegemus, cur obsonia ostendantur, tibicinae non ostendantur; nam modo ex illis propter exiguitatem perspici potest invitationem per iocum esse simulatam. Ceterum cum derisor sibi uni dicatur obsonia coēmisse, eum tibicinas non ad suam coenam arcessere patet. At cui tandem conduxisse putandus est? Fortasse amico, qui quia ipse cum servis suis nimis in epulis apparandis occupatus fuerit, ab isto hoc petiverit. Quod exponere scriptor potuit supersedere, quoniam id nihil refert. Vides, quam apte omnia inter se concinant et quam vana sit Fossii suspicio. Sed huius viri docti error levis est, cum Hartungius incredibili quadam audacia et istam et extremam notam prorsus novo capiti tribuerit, quod duabus laciniis XIX^{mac} descriptionis (*δυσχερεῖς*) consuit eique *ἀπειροκαλλας* titulum praefixit. Initium enim huius capitinis excidisse statuens primo loco ea posuit, quae in cap. XIX ed. Pet. p. 142, 20—143, 2 leguntur, *ἄμα δ' ἐσθίων* (ita scribit H.) *ἀπομύττεσθαι — εἰς ἀρορὰν ἐξελθεῖν*. His subiunxit v. *καὶ αὐλούμενος δὲ προτεῖν — ταχὺ παύσατο* (p. 143, 5—7). Nam quae in cap. XIX proxime antecedunt, *καὶ εἰς ὄρυθοσκόπον — πεποιηκάς* (p. 143, 2—5), et quae in fine inveniuntur, *καὶ ἀποπτύσαι — τῷ οἰνοχώῳ*, alias secutus βδελυφας characteri reddidit. Finem novo capiti noster locus facit. Haec tota ratio quam perversa sit, cum per se intellegitur, tum ex iis apparebit, quae infra de notatione XIX disputabuntur. Cuius ne unam quidem notam ita comparatam esse demonstrabo, ut ad *ἀπειροκαλλαν* possit referri. Sed ut talem characterem a Theophrasto descriptum esse concedam, eur omnino Hartungius in verbis *καὶ διηγεῖσθαι προστὰς πρὸς κονρεῖον ἡ μυροπάλιον*, *ὅτι μεθύσκεσθαι μέλλει* haereret — nam de praecedenti nota iam supra copiose disserui — id ut perciperem, nullo pacto a me potui impetrare. Quid? iocus istis expressus nonne pariter est illiberalis et fastidium creans atque is exempli gratia, ad quem secura in theatro descendit, cum ceteris omnibus ad spectandum intentis resupinato corpore ructet, ut illorum in se avertat oculos? Quare Hartungii illa conjectura prorsus abicienda est.

Accedimus ad *περιεργίας* adumbrationem (c. XIII), de cuius extremis verbis *καὶ δύννυαι μέλλων εἰπεῖν πρὸς τοὺς παρεστηκότας*, *ὅτι Καὶ πρότερον πολλάκις δύμωμοι* Schneiderus teste Astio haec animadvertisit: „Sensit ipse Casaubonus et post eum Nastius hanc esse potius perditi hominis (*ἀπονοήτου* c. VI) notam quam aut officiosi nimis aut seduli aut *μικροφυλοτίμον*.“ Transferendam eam esse ad cap. VI Casaubonus non contendit, num Nastius et Schneiderus duxerint, ignoratur. Certe talis transpositio scriptoris menti plane repugnaret. Nam primum ex illis *καὶ πρότερον πολλάκις δύμωμοι* minime sequitur illico *περιεργον* verum dicere et non mentiri, scilicet quo promptum ad iusurandum significet animum. Deinde ut vera sint, quae profitetur, quid obstat, quominus insuper homo perditus profligatusque sit, qui ne peierare quidem vereatur? Quid? in uno eodemque charactere haud raro plura vitia coniuncta inveniri, quamquam semper singula tantum primo loco ponuntur, nonne iam supra nos ipsi observavimus? Hoc autem loco Theophrastus nihil aliud voluit nisi ridiculam hominis seduli stupiditatem irridere, qui, ipsis illis verbis ad promptum animum aperiendum prolatis quantopere iurisiurandi sui fides imminuat, non intellegat. Eam sententiam notae esse forma ipsa docet, si comparaveris, quae in cap. VI leguntur, *οἶος δύσσαι ταχύ*.

In eo qui deinceps sequitur characterismo (*ἀνασθησίας*) v. καὶ τὰ παιδία ἑαυτοῦ παλαίειν ἀναγκάζων καὶ τροχάξειν [καὶ] εἰς πόπους ἐμβάλλειν (p. 137, 16) nonnullos interpres male habuerunt, quia non percipiebant, cur is, qui filiolos exercendo fatigat, mente captus et stolidus vocetur. Idecirco alii sola ista εἰς πόπους ἐμβάλλειν corrigi, alii totam notam in aliud characterem transferri voluerunt. Hanc viam primus Fossius (comm. IV, 34 et 35) ingressus notam ὄψιμαθίας descriptioni (cap. XXVII) mutato pronomine ἑαυτοῦ in ἑαυτῷ convenire pronuntiavit. Et eam sententiam Ribbeckius (M. Rh. XXV, 140) totam amplexus est, nisi quod pro καὶ εἰς πόπους ἐμβάλλειν Hanovium secutus καὶ ἐπὶ σκοποῦ βάλλειν mavult. Ego vero neutram harum formarum notae in XXVII^{mo} capite ferri posse existimo. Nam cum iam p. 152, 15 inepti senis cupiditas luctandi ita depingatur: καὶ προσανατολέσθαι εἰσιὼν εἰς τὰς παλαίστρας, v. καὶ τὰ παιδία ἑαυτῷ παλαίειν ἀναγκάζειν nihil essent, opinor, nisi molesta illorum repetitio. Sed omnino, si quid video, locus, sicut traditus est, neque emendatione eget neque transpositione. Imprimis enim formam παιδία respiciamus oportet; de parvis igitur pueris agitur, quibus non modo extrema corporis fatigatio, sed omnis lassitudo damnsa esse potest. Ac ne ex mea sententia dixisse id videar, testimonium Bockii, illustrissimi medici nostrorum temporum, apponam. Is in libro, qui „Das Buch vom gesunden und fränken Menschen“ inscrititur, p. 662 de pueris, qui octavum aetatis annum nondum agant, educandis et alia et haec praescribit: „Der Gebrauch der Muskeln beim Sitzen, Stehen, Gehen und Laufen darf nie bis zur Ermüdung fortgesetzt werden, da sonst ebenso die Ernährung der Muskulatur wie die Gestaltung des Knochengerüsts leiden könnte.“ In eo igitur stupor est, quod pater, cum filiolos luctari et currere cogit, tanta socordia tenet, ut illos iam fatigatos esse haudquaquam sentiat.

Hinc compluria capita transeuntes statim ad XIX^{um} (*δυσχερείας*) convertimur, cuius posterior pars inde a verbis ἔσθιων ἀπομύττεσθαι (p. 142, 20) accuratiorem interpretationem requirit. Quaestio autem nostra bipartita erit, cum quae inde a. v. καὶ εἰς δρυιθοσκόπον usque ad finem in libris inveniuntur, prorsus alius generis esse ac totam reliquam descriptionem plerique indicaverint. Contra Meierus quamquam illa in δυσχέρειαν cadere et ipse negavit atque etiam nonnullas notas, quae proxime praecedunt, addubitat, tamen has duas saltem partes ita inter se connecti posse censuit, ut trajectione spreta post καὶ τὰ τουαῖτα (p. 142, 20) intercidisse quaedam statueretur, quibus et δυσχερείας finis et principium novi characterismi continerentur. Hunc ad „inepti“ mores spectasse suspicatus est. Meieri exemplum secutus Hartungius quoque istum superiorem locum (*ἔσθιων ἀπομύττεσθαι — εἰς ἀγορὰν ἐξελθεῖν*) XIX^{mo} capiti eripuit ceteroquin, ut supra exposuimus, diversa usus ratione. Prius igitur eae notae, quas hi duo interpres soli in controversiam vocarunt, separatim pertractandae sunt, ita tamen, ut non quaeramus, utrum „inepti“ sive quem Hartungius proposuit, ἀπειροκάλον animo aptae sint necne, sed num omnino ab indole δυσχεροῦ dissident.

Principium igitur Palatino ita traditum est: ἔσθιων ἀπομύττεσθαι θύνων ἄμα δ' ἀρξασθαι προσλαλῶν. ἀπορρίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος. ἄμα πιὼν προσεργγάνειν. Hic magnas difficultates parant illa θύνων ἄμα δ' ἀρξασθαι προσλαλῶν ἀπορρίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος, quae non uno tantum mendo maculata esse primus declarat eorum aspectus. Nam ut de structura enuntiati perversa taceamus, sacrificii mentione interiecta notarum connexus male interrumpitur, quia, ut Hanovius (symb. cr. I, p. 19) recte indicavit, in coenando versantur inde ab ἔσθιον. omnia usque ad προσεργγάνειν. Itaque vel ab hac parte Ussingius nobis non satis-

facit, cum θύων suo loco retinens scribat: θύων ἀπομόρξασθαι (sc. τὸν ἰδοῦτα), προσλαλῶν ἀπορρίπτειν ἀ. τ. στ. Porro qui inter sacrificandum sudorem abstergat, quo iure possit omnino vituperari, nedum foedus appellari, non facile intellegitur.

Quare Schneiderus recte θύων prorsus omisit et ex vulgatis codicibus ἀρχαῖμενος προσλαλεῖν in textum recepit rescripsitque: ἐσθίουν ἀπομύττεσθαι, ἥμα δ' ἀρχαῖμενος προσλαλεῖν ἀπορρίπτειν ἀ. τ. στ. Sic haec evadit sententia: inter edendum nares emungit, simulatque colloqui coepit, sputum eicit; ἥμα enim arce cum ἀρχαῖμενος connectendum, non, id quod Astius voluit, ad praegressum ἐσθίουν esse referendum eius quae proxime sequitur notae ἥμα πιὼν προσεργγάνειν docet comparatio. Sed ne Schneideri quidem emendatione omnia expedita sunt, si quidem asyndeton cunctis libris usque ad extremam huius loci notam καὶ χιτωνίσοντος τ. λ. continuatum servari debet, quod vocula δ' male interrumperet. Iam igitur id quaeritur, quemadmodum inter se omnes illae notae cohaesisse putanda sint. Fuerunt enim, qui libelli nostri ratione continuam copulationem censerent plane requiri. Ut Fossius singulas enuntiationes καὶ particula quater interposita coniunxit. Quod vereor ne paulo festinans factum sit. An idem vocabulum interiectis tam parvis intervallis librariorum incuria toties omitti potuisse putas? Quid? si mira harum notarum brevitas asyndeton fere postulat? Istud autem si statuitur, littera δ' ante ἀρχαῖμενος delenda est, quae propter a et sequens et praecedens quam facile addi potuerit, quis est quin videat? Verum etiam primo enuntiato ἐσθίουν ἀπομύττεσθαι Fossius καὶ praemisit, cum proxime superiora v. καὶ τὰ τοιαῦτα praeeunte Hottingero ad praegressa referret; quo iure, ipse viderit. Nam quid, quaequo, obstat, quoniam cum sequentibus connectantur, ita ut ad haec illis praeparentur legentium animi? Talem vim habent etiam in cap. XXX, p. 156, 17, ubi exstant: καὶ τὰ τοιαῦτα φειδομένῳ μέτρῳ τ. λ. Fossius quidem videlicet hoc quoque loco Astii exemplum secutus καὶ post τὰ τοιαῦτα interposuit. Ceterum quod epitome Augustana καὶ ante ἐσθίων habet, neutiquam mirum est, quoniam illa καὶ τὰ τοιαῦτα prorsus omisit. Aliam quoque conjecturam, quam doctissimus ille criticus eidem epitomae iusto maiorem tribuens auctoritatem (comm. II, p. 11) excogitavit, quamquam ad locum emendate edendum non adhibuit, paucis attingere liceat. Cum enim in codice Monacensi statim post v. καὶ πιὼν ἐρυγγάνειν legatur: καὶ προσπτύειν ἔκπροσθέν τινος atque ultimam huius capitinis notam καὶ ἀποπτύσαι δὲ βουλόμενος ὑπὲρ τῆς τραπέζης προσπτύσαι τῷ οἰνοχόῳ sic coartata esse parum ei videatur verisimile, quia illa in Monacensi posita sunt ante v. καὶ χοήσθαι χιτῶσι ὄνπαροις καὶ δσα τοιαῦτα: ea de causa ceteros libros lacuna laborare suspicatur. At nonne fieri potuit, ut, quoniam homini foede se emungenti vel sputum emittenti vel ructanti is, qui prope stantem computat, similior est quam is, qui veste sordida indutus est, epitomator hanc de vestitu notam transponeret?

Satis multa de verbis; nunc videamus, utrum notae adhuc tractatae ad δυσχέρειαν, quae ἀθεραπενσία σώματος λίπης παρασκευαστική esse definitur, convenient necne. Quod haud difficile est diiudicatu. Primum enim si quis temporum adeo non habet rationem, ut vescens se emungat vel colloquens sputet, is merito vituperatur nimiaeque arguitur negligentiae; nam quoniam eiusmodi desideria fere haud citatam expletionem postulant, sed paulatim vehementiora fiunt et crebro iam aliquanto prius sentiuntur, quam satientur, quam facile illa foeditas evitari potest, modo homo nares et os purgare velit, antequam manducare vel verba facere incipiat! Sero igitur narium fauciūmque prospiciens munditiei necessarium corporis cultum neglegit. Similia de eo dici queunt, cui cum cibi capti redundancy stomachi cituri sunt, ne id quidem a se impetrare potest, ut a poculi margine labra tam diu cohbeat, quoad naturae necessitatibus

paruerit, sed medium in potionem ructum producit atque ita eam quae stomacho, h. e. corpori debetur curam omittit. Optime igitur hae tres notae δυσχερείας finitioni respondent.

Pergit Palatinus: ἀναπίπτοντος ἐν τοῖς στρωμάσι μετὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ κοιμᾶσθαι. Hic pro corrupto ἀναπίπτοντος Badhami emendationem amplexus certissimam et Fossio, Cobeto, Petersenio, Ussingio probatam ἀναπόνιτος repone: iam spurciam clare agnosces. Nam veteres et ante coenam et post coenam manus lavabant propterea, quod escas digitis comprehendebant. Sed nonne cogitari potest hominem, cuius mores hoc loco effinguntur, ante coenam cum uxore sua in triclinii stragulis concumbere, scilicet priusquam cibis attactis manus inquinaverit? At tali ratione, ni fallor, foeditas in obscoenitatem vertitur. Quamobrem τὰ στρωμάτα non ad lectum tricliniare, sed ad cubicularem refero.*). Quod si fit, iam de tempore non possumus incerti esse, quandoquidem fere sub noctem a coena cubitum ibant. Ergo quod Fossius ante ἀναπόνιτος interponendum putavit ἀπὸ δέκτηνος, prorsus superfluum est. Qui vero nimis parcus in aqua adhibenda simplicissimam munditiae curam deserit, is si quisquam debet spurcus vocari.

Sequuntur haec: ἐλαῖος σαποφ ἐν βαλανεῖῳ χρώμενος σφύζεσθαι. Paucis ea absolví possent, nisi ultimum verbum largiorem praebaret disputandi materiem. Quod sanum esse Ussingius certe defensione sua non demonstravit. Verum ne conjecturarum quidem, quaecunque de eo prolatae sunt, ulla mihi satisfacit. Neque quod meo Marte proponam, promptum habeo. Sed hanc quaestionem, si quid video, omnino licet in medio relinquere, quippe quae ad nostrum de notae indole iudicium nihil pertineat. Quid? alioqui nonne sordes significantur satis magnae? Fossius quidem (comm. II, p. 12) tale vocabulum putat desiderari, cui foeditatis acuta quaedam insit notio. „Nam rancido oleo in balneis uti“, inquit, „per se quidem non est foeditatis signum; quid enim? nonne turpi parsimonia ductus vel paupertate compulsus ad eam necessitatem potest configuisse?“ Ad ea respondeo: Paupertatem illius moris iniucundi causam esse non posse per se patet, quoniam neque ipsa neque quae ex ea proficiscuntur, nisi inhonesta sunt, cuiquam debent exprobrari atque Theophrastum vitia tantum describere constat. De sordida autem parsimonia cogitare qua re vetamur? Num ea rancidi olei usus excusatur? An vero duorum vitiorum coniunctione offenderis iam supra identidem nobis occurrisse eam oblitus? Ecce autem in proxima nota: καὶ χιτωνίσον παχὺν καὶ ἱμάτιον σφόδρᾳ λεπτὸν καὶ οὐλίδων μεστὸν ἀναβαλλόμενος εἰς ἀγορὰν ἐξελθεῖν eodem iure poteris interrogare, quod modo ex Fossii ore audivimus, foeditatisque signum desiderare. Minime hercle, inquires, ita res se habet; namque etsi homo potest propter egestatem vel tenacitatem recentibus meliorisque notae vestibus carere, tamen propterea vere δυσχερής est, quod tam misere vestitus in forum ire et urbanorum hominum elegantiumque audet numero se immiscere. Proinde quasi huius rei non eadem istae causae queant afferri, cum notum sit Athenis pauperiores et avaros cives, quae ad victimum necessaria erant, non per servos providisse, sed ipsos de foro domum portasse. Verum ut ad priorem sententiam, unde deflexit, redeat oratio, iam patet verbi σφύζεσθαι emendatione supersedere nos posse atque qui rancido oleo uti solet in balneis sive nimia parsimonia motus sive aliqua alia causa vituperabili, per sese eum esse satis foedum neque multo diversum a tali, qui aqua immunda lavetur.

Nunc extrémam huius loci notam iam supra exhibitam obiterque perstrictam diligentius introspiciamus, quae quidem, sicut in vulgatis libris scripta invenitur (καὶ ἱμάτιον οὐλίδων μεστὸν ἀναβαλλόμενος εἰς ἀγορὰν ἐξελθεῖν), nullam ansam praebet haesitationis, quia sine

*) cf. cap. XVIII, p. 141, 15 ἀναστὰς . . ἐν τῶν στρωμάτων

controversia cum corporis cultu etiam vestis munditiae cura necessario coniuncta esse debet. Sed paulo difficiliorem Palatinus quaestionem videtur reddere, cum hic pallium non modo maculis oppletum, sed etiam valde tenue significetur atque praeterea crassa tunica commemoretur. Et Astius sine ulla cunctatione id additamentum esse insulsum glossema contendit, quod nihil foedi indicaret. At vereor, ut recte intellexerit, quidnam adiectivis *παχύν* et *λεπτόν* exprimatur. Quae quamquam inter se opposita sunt, tamèn posteriore scriptor dicere voluit pannum, ex quo pallium factum est, non solum per se nimis tenuem esse, sed insuper crebriore usu attritum. Neglegentia igitur hominis notatur eandem vestem iamdudum obsoletam usque gestantis. Alia de causa subuculae crassae fit mentio; veteres enim potius tunica tenuiore, contra pallio crassiore videntur usi esse; hodieque apud nos fit et rei ipsius natura fert, ut id vestimentum, quod proxime cutem gestari solet, *χιτών ἐχέσαρχος*, ut graece loquar, tenuius sit quam superiora. Itaque qui hunc morem invertit, is est inelegans, ergo neglegens in vestibus elegendis et, cum vestitus cura maxime ad cultum corporis pertineat, huic quoque parum inserviens. Neque mirum est, ut Fossius (comm. II, 13) recte observavit, si Theophrastus, quem ipsum vestitus elegantiae permultum tribuisse veteres testantur, eiusmodi homines foedorum numero duxit. Ad hunc igitur finem pervenimus, ut totum locum a Meiero et Hartungio solis impugnatum XIX^{mo} capiti relinquendum esse nobis sit persuasissimum.

Prorsus aliter de eis iudicandum erit, quae proxime usque ad exitum sequuntur: καὶ εἰς ὁρηθοσκόπου τῆς μητρὸς ἐξελθούσης βλασφημῆσαι· καὶ εὐχομένων καὶ σπειδόντων ἐκβαλεῖν τὸ ποτήριον, καὶ γελάσαι ὀστείον τι πεποιηκώς· καὶ αὐλούμενος δὲ κροτεῖν ταῖς χερσὶν μόνος τῶν ἄλλων, καὶ συντερετίζειν καὶ ἐπιτιμᾶν τῇ αὐλητῷδι τι οὐ ταχὺ παύσατο· καὶ ἀποπτύσαι βουλόμενος ὑπὲρ τῆς τραπέζης προσπτύσαι τῷ οἰνοχόῳ. Nam in his immunditiae corporis nec volam nec vestigium esse primus ostendit aspectus. Quamobrem iam Pavo et post eum plerisque a persona τοῦ δυσχεροῦ prorsus abhorrere visa sunt. Unus, quantum scio, Ussingius e recentioribus quamlibet illarum notarum transpositionem aspernatū, cum finitionem, cui repugnant, parum aptam neque magis quam reliquias omnes huius libelli ab ipso Theophrasto confectam esse, praeterea autem ceterorum scriptorum neminem τὴν δυσχέραιαν ad solam corporis illuviem rettulisse contendat. Quorum argumentorum illud largimur, alterum nihil est. Nam quem, quaeso, praeter Theophrastum Graecorum scriptorum una cum δυσχερεῖ in uno eodemque libro duos characteres descriptissime novimus, qui tam arta propinquitate, quali βδελυφία et ἄηδία, cum illa coniuncti sint? Atque si tales notationes teneremus, certe unumquodque vitiorum adumbratorum angustius coercitum et ab reliquis discriminibus quibusdam quamvis subtilibus separatum esset, quae contra apud Theophrastum desiderantur, quamdiu ille locus intra δυσχερεῖας characterismum permanet. Id igitur dubitari nequit, quin notae, de quibus agitur, ab hoc capite alienae sint; difficilius est diiudicatu, ad quemnam characterem pertineant. Ac de hac re viri docti valde dissentient; ut Klotzius de XIV capite (*ἀναισθησίας*) cogitavit, in quod tamen v. καὶ ἐπιτιμᾶν τῇ αὐλητῷδι τι οὐ ταχὺ παύσατο non quadrant. Neque multo felicius Petersenius XX caput (*ἄηδίας*) proposuit et locum nostrum post v. ἀνθρωπὸν λαβεῖν (p. 144, 2) inserendum esse putavit. Ut enim Hanovius (symb. crit. p. 19) recte observavit, illa καὶ εἰς ὁρηθοσκόπου — ἀστείον τι πεποιηκώς parum apte ad ἄηδίαν referuntur, quae ἔντενχεις λύπης ποιητική ἔνεν βλάβης et definitur et describitur neque omnino ad istiusmodi turpitudinem progreditur.

Ego facere non possum, quin plurimos interpretes secutus nihil aliud nisi βδελυφίαν, de qua c. XI agitur, istis verbis depingi iudicem, tametsi Petersenius hanc sententiam vehementer

impugnavit (p. 46 et 47). Etenim quae fine capituli XIX ob oculos ponuntur, sales sunt illiberales et moribus scurrae humilis non male apti, qui ne turpes quidem res reformidat, modo sibi ipse risum excutiat. Petersenius quidem illa homines illudendi gratia fieri negat, quoniam id non desertis verbis exprimatur neque per se pateat. Quid tandem? In ipsa βδελνοίας notatione num semper ioca per se agnoscit queunt, nisi dilucide indicata sunt? Nonne Petersenius ipse notam καὶ σπεύδοντας δὲ πον ὁρῶν [περιμένει κελεύσαι] (p. 135, 7), quae in melioribus codicibus mutilata exstat, sed deteriorum additamento bene suppletur, etiam de homine seria agente intellegi posse concedit, ita ut plura excidisse nimis audacter statuat? Sed faciles simus et hoc largiamur; quod vero derisor impudens p. 135, 4 dicitur πληθούσης τῆς ἀγορᾶς προσελθὼν πρὸς τὰ κάρα η τὰ μύστα η τὰ ἀκόδονα ἐστηκὼς τραγηματίζεσθαι ἄμα τῷ πωλοῦντι προσλαλῶν, id non minus ex mera rusticitate eorumque, quae decent, ignorantia quam ex risus captatione potest profectum esse. Atque qui praetereuntium aliquem nulla sibi familiaritate iunctum nominatim compellat (p. 135, 6), quidni de homine is erraverit? Quin etiam illa, in quibus lusum manifestissimum esse Petersenius censet, καὶ ἡττωμένῳ δὲ μεγάλῃ δίκην ἀπιόντι ἀπὸ τοῦ δικαστηρίου προσελθεῖν καὶ συνησθῆναι, si quis ad stupiditatem quoque sive ἀναισθησίαν referri posse putet, equidem nihil habeam quod opponam. Vides igitur etiam huius capituli haud paucas notas, si per se spectantur, ambiguas esse, et tamen quomodo accipiendae sint, statim ex eo perspicitur, quod in hoc ipso characterismo locum habent, quo παιδία ἐπιφανῆς καὶ ἐπονείδιστος effingitur. Item in eis, quae capiti XIX male annexa sunt, nihil aliud nisi iocandi libidine agnoscas, dummodo huc transferantur. Id autem ut fiat, praecipue monent v. καὶ αὐλούμενος δὲ κροτεῖν — παισατο, si comparaveris, quae cap. XI, p. 134, 26—135, 2 leguntur: καὶ ἐν θεάτρῳ κροτεῖν, δταν οἱ ἄλλοι παύσονται, καὶ σνοίττειν, οὐς ἡδέως θεωροῦσιν οἱ λοιποί. Inter has duas notas quanta similitudo! Neque tamen, id quod Petersenius putat, bis eadem dicta sunt. Nam posteriore loco, ni fallor, βδελνός id agere indicatur, ut plaudendo et sibilando spectatores actoresque interpellent. Contra is, ad quem altera nota spectat, ratione in tibicinae adhibita compotoribus, qui ex illius cantu haud ita magnam capere videntur oblectationem, cum saltem nulla re id aperiant, repugnare vult et pravum aurium iudicium quasi tacite obiecere. Hanc ob causam plaudit unus inter omnes et tibicinae modulos cantillando sequitur queriturque, quod ociosus finem faciat (δτι οὔτω ταχὺ ἐπαύσατο Kayserus Ann. Heidelberg. p. 622 bene restituit), tamquam videlicet cantum, quem maxima cum voluptate se audire simulat, longius produci cupiat. Alia igitur causa movetur qui hic, alia qui illic describitur. Id discrimen utroque loco satis clare expressum est. Nam si homini in theatro petulantia sua offendenti consilium esset, ut ceterorum iudicio adversaretur, profecto non plauderet, cum hi desinunt, sed cum omnino non plaudunt (ut ille in fine capituli XIX μόνος τῶν ἄλλων) vel ubi sibilant. Ei autem, qui in convivio tibicinae arte magnopere delectari se omnimodo simulat, interpellandi voluntatem tribuere vetamus verbis καὶ ἐπιτιμᾶν τῇ αὐλητῷδι δτι οὔτω ταχὺ ἐπαύσατο, e quibus cantilenam iam ad finem adductam esse appareat. Quae cum ita sint, clausula XIX^{mi} capituli omni cunctatione abiecta XI^{mo} reddenda erit, ita nimirum ut eius exitum sequatur. Ceterum Hartungius, quamquam in universum hanc transpositionem probavit, tamen unam notam καὶ αὐλούμενος δέ ι. τ. λ. exceptit atque capiti ab ipso facto et ἀπαγορουμένα inscripto inseruit, de quo supra diximus. Quae quam perversa sit ratio, vel ex modo disputatis satis intellegas. Verum ne nunc quidem omnes scrupuli videntur electi esse; nam qui, inquires, illas notas, quas XI^{mi} characterismi esse tu

probare conaris, ex hoc per tantum intervallum potuisse in XIX^{um} immigrare putas? Nihil simplicius faciliusque perceptu, dum a tradito characterum ordine discedere velis, quem non a Theophrasto ipso aut ab epitomatore institutum esse quivis concedet, cum nulla eius ratio inveniri queat probabilis. Quomodo autem singula capita omnia initio ordinata fuerint, illud quidem magis coniectura assequi quam pro certo affirmare possumus; id vero constare videtur characteres interiore propinquitate coniunctos etiam quod ad locum attinet inter se vicinos fuisse. Ut procul dubio olim ἀρέσκεια statim post πολακεῖαν descripta reperiebatur atque ἀδολεσχίας, λαλίας, λογοποίας adumbrationes arcte inter se cohaerebant non minus quam μικρολογίας, ἀνελευθερίας, αἰσχροκερδείας. Neque aliter iudicandum est de βδελυφίας, δυσχερείας, ἀηδίας notationibus, quarum alteram praecessisse atque primam medium locum tenuisse existimo, propterea quod illud vitium ad solius corporis neglectum, hoc autem et ἀηδία potius ad animi spectant pravitatem. Quae si conceduntur, plura de hac re proferre non opus est, cum finem alicuius capitinis ad proximum errore quodam deferri potuisse coniectura sit facilis.

Hoc charactere plene expedito nunc veniamus ad XX^{um} (*ἀηδίας*), qui tantas iniurias quantas nullus aliis passus est. Adeo enim interpretum suspicionibus disceptus est, ut ne una quidem nota intacta manserit. Omnes vero licentia Blochius superavit, qui cum arbitraretur ἀηδίαν e diversissimis constare moribus, qui in uno eodemque homine inveniri non possent, et idcirco hanc notationem non Theophrasteam, sed ab epitomatore ex partibus alicunde de promptis confectam esse, totam in singulas lacinias distraxit alias aliis capitibus assignans. Quamobrem cunctae notae singillatim percensendae erunt, ita ut, quae uniuscuiusque sit vis et sententia, clare cognoscatur.

Primum igitur ἀηδία dicitur οἷος ἐγείρειν ἄρτι καθεύδοντα εἰσελθών, ἵνα αὐτῷ λαλῆ· καὶ ἀνάγεσθαι δὴ μέλλοντας κωλύειν· καὶ προσελθὼν δεῖσθαι ἐπισχεῖν, ἔως ὃν περιπατήσῃ. Haec Blochius ad ἀκαιόλαν (cap. XII) potius pertinere censebat atque in eo Ribbeckii comprobationem adeptus est (M. Rh. XXV, 141), id quod satis mirari nequeo, cum illius vitii natura tam certis contineatur finibus, ut ab omnibus quantumvis affinibus facile discerni possit. Ἀκαιός enim, siquidem Theophrastea eius descriptio respicitur, propter solam intempestivitatem actionum suarum et sermonum notatur, quoniam haec ipsa per se nullam ansam habent reprehensionis atque etiam utilia et laudabilia esse possunt. Aliam vero causam subesse iis molestiis, quae nostro loco depinguntur, sine longa consideratione nobis persuadebimus; nam si iste re vera ad ἀκαιόλαν spectaret, sine dubio et actio per se ab omni vitio vacua et, quo haec inconcinna fieret, alienum tempus dilucide discerni possent. Cum autem capitinis XII notae omnes praeter unam, quae relativam enuntiationem continet, eam habeant formam, ut actio infinitivo, intempestivitas participio expressa sit, hanc consuetudinem Theophrastus in XX^{mo} quoque capite servasse putandus esset. In priore igitur sententia v. ἐγείρειν ἄρτι καθεύδοντα actionem per se haud vituperandam et reliqua εἰσελθών, ἵνα αὐτῷ λαλῆ incommoditatem temporis significarent. Verum neutrum placeret; nam e somno aliquem suscitare fere est indecorum, nisi gravis causa adest; et posteriore parte enuntiati non tempus, sed finem agendi indicari particula ἵνα demonstrat. Atque etiamsi scriptorem ab illa forma in ἀκαιόλας notatione severe observata discessisse et actionem per se probam verbis εἰσελθών, ἵνα αὐτῷ λαλῆ et tempus inopportunum voce καθεύδοντα significasse censemus, id desideramus,

in quo cardo rei versatur, τὸ λυπεῖν τοὺς ἐντυγχάνοντας. An ad amicum colloquii causa accedere, dum ille forte dormit, ullam habet offensionem? Postremo cave in ἄρτι intempestivitatis indicium inesse putas; nam alterum e somno expergefacerem semper dedecet sive modo sive ante complures horas sopitum. Hoc igitur constat, si quis dormientem excitet nullam aliam ob causam, nisi ut cum eo colloquatur, eum per se quolibet tempore esse molestum, ergo haudquaquam ἀκαρον.

Reliqua pars loci nostri unam notam efficit, eum v. καὶ προσελθὼν δεῖσθαι ἐπισχεῖν, ἔως ἂν περιπατήσῃ explicationi antecedentis κωλύειν serviant. Ac ne mireris, quod alterum enuntiatum priori particula καὶ sequente infinitivo (δεῖσθαι) annexum est, conferas cap. XI, p. 135, 10 locum supra uberior tractatum: καὶ ὁψωνεῖν ἔαντφ καὶ αὐλητῷδας μισθοῦσθαι καὶ δεικνύειν τοῖς ἀπαντῶσι τὰ ωψωνημένα καὶ παρακαλεῖν ἐπὶ ταῦτα; nam hic quoque sententias eodem tenore vides progredi, cum pro duobus primis infinitivis potius participia et talem fere periodi structuram exspectes: καὶ ὁψωνῆσαι ἔαντφ καὶ αὐλητῷδας μισθωσάμενος δεικνύειν ο. τ. λ. Quominus vero ad duas diversas notas illa verba referantur, id obstat, quod sic ad προσελθῶν eius significatio requireretur, ad quem homo odiosus accederet. Ideo Ribbeckius illam opinionem amplexus lacunam statuere coactus est, quam ita supplendam censem, ut σπεύδοντα sive σπεύδοντος interponatur. Quae necessitas, ut ostendimus, evitari potest. Sententia igitur notae haec est: qui iam in eo sunt, ut navem solvant, eos retinet exspectare iubens, quoad deambulaverit. Quodsi in his ἀκαρον cerneretur, ad tempus alienum necessario v. ἀνάγεσθαι μέλλοντας, cetera ad actionem ipsam spectare deberent, quae illo demum offenderet. At, si quid video, in tali re de alio nisi de indicato tempore omnino sermo esse nequit, quandoquidem nemo ab ullo negotio prius potest vere impediri, quam ad id accessurus sit. Quaeret quispiam: nonne cogitari potest aliquem, etiamsi ante horam proficisciendi constitutam deambulare velit, tamen circumspecte ab amicis iam in navi congregatis petere, ut exspectent, dum revenerit? Cogitari potest, si ambulationem eo usque producere in animo habet, ut periculum sit, ne serius revertatur itaque ceteris moram afferat. Sed tum et ipse vituperandus est propterea, quod, quamvis ita facillime possit deambulationem instituere, ut ad tempus in navi adsit, tamen parum cavet, ne longiore absentia profectionem retardet. Contra si ei stat, ut decet, mature redire, ita ut ne minima quidem mora fiat, tum istiusmodi adhortatio prorsus supervacanea est atque etiam inepta. Et licet hominem hac ridicula cautione esse credamus, tamen quam non cadit in eum v. κωλύειν! Actionem igitur, de qua sermo est, illud κωλύειν dico sive quod eodem reddit, δεῖσθαι ἐπισχεῖν ο. τ. λ., appetat in nullum aliud tempus nisi in id, quod verbis ἀνάγεσθαι μέλλοντας significatur, quadrare, ergo per se esse fastidiosam.

Quae sequuntur καὶ τὸ παιδίον τῆς τίτης ἀφελόμενος, μασώμενος στίζειν αὐτὸς καὶ ὑποκορίζεσθαι ποππύξων καὶ πανονῷμον [πλεότερον] τοῦ πάππου καλεῖν, ex ἀρεσκίᾳ notatione hoc irrepisse Blochius et Ribbeckius suspiciunt. Et profecto nobis legentibus illico in mentem venit illius hominis consimili modo infantibus blandientis, qui cap. V, p. 127, 13 dicitur καὶ κεκλημένος δὲ ἐπὶ δεῖπνον κελεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἔστιοντα, καὶ εἰσιόντα φῆσαι σύκον δμοιότερα εἶναι τῷ πατρὶ, καὶ προσαγόμενος φιλῆσαι καὶ παρ' αὐτὸν καθίστασθαι· καὶ τοῖς μὲν συμπατίζειν αὐτὸς λέγων Ἀσκός, Πλέκνυς, τὰ δὲ ἐπὶ τῆς γαστρὸς ἔαν καθεύδειν ἄμα θυμόβομενος. Nihilominus inter utramque notam aliquantum intercedit discriminis. Etenim noster locus ad patrem infantis ipsum spectat, contra alter ad patris amicum. Atqui ἀρεσκός licet quam plurimis placere studeat, tamen ubi infantibus blanditur, mihi quidem videtur non tam horum quam parentis captare benevolentiam. Haec sententia eis firmatur, quae de adulatore

cap. II, p. 124, 1 leguntur: *καὶ τοῖς παιδίοις μῆλα καὶ ἀπίους πριάμενος εἰσενέγκας δοῦναι δρῶντος αὐτοῦ.* Sequitur notam in suspicionem vocatam, si per se spectatur, ne convenire quidem ἀρίστου indoli. At, inquires, verbis e cap. V citatis eam subiunge: statim eum quoque infantem, quem nutrix in manibus gestat, esse domini coenae (*τοῦ ἐστιῶντος*) patebit. At etiam tum scrupuli remanent; quid enim? postquam iam antea τὰ παιδία i. e. cunctos parvulos intrasse dictum est, nonne insuper infantis lactentis mentionem solis verbis τὸ παιδίον fieri mirareris? Denique, id quod caput est, homo noster, sive patrem intellegis sive eius amicum sive alium quem, non propter blanditias ipsas notatur, ni fallor, sed potius ob earum insulsitatem vere fastidium creantem. An non inepte indecoraque agit, qui virilis gravitatis adeo obliviscitur, ut nutricum more mansum cibum infanti in os inserat et delicate cum eo balbutiat? Ita si nota accipitur, ne minimam quidem causam video, cur loco suo removeatur.

Quod vero Blochius praeente Schweighaeusero proxima καὶ ἐσθίων δὲ ἄμα διηγεῖσθαι, ως ἐλλέβορον πιὼν ἄντα καὶ κάτω παθαρίσειη, καὶ ζωμοῦ τοῦ παρακειμένου ἐν τοῖς ὑποχωρήμασιν αὐτῷ μελεατέρᾳ ἡ χολὴ ab hoc capite aliena atque in antecedens (*δυσχερεῖας*) reicienda esse duxit, id omni caret veritatis specie. Nam cum δυσχέρεια, ut supra exposuimus, ad solum cultus corporis neglectum spectet atque extremam huius notationis partem inde a v. καὶ εἰς δρυιθοσκόπου, quae prorsus aliis generis est, ipsi illi duo interpres cum plerisque consentientes ei abiudicaverint, equidem nullo pacto possum perspicere, quidnam huic notae cum XIX characterismo commune sit. Nisi forte qui medicamentum assumit, quale est veratrum, ἀθεραπευσίᾳ σώματος videtur peccare. Ceterum homo, ut vel forma sententiae docet, non ideo vituperatur, quod helleborum biberit, sed quod quali effectu id fuerit, inter edendum narrat de excrementis loquens atque etiam colorem eorum iuri nigro in mensa apposito comparans. Haec autem non corporis immundities est, sed intemperantia quaedam sermonum, quae tales res non veretur in medium proferre, quas decoris cura ac pudor attingi vetent. Quare haec nota non modo a δυσχερεῖας charactere abhorret, sed etiam si ulla cum reliqua ἀηδίᾳς descriptione bene concinit.

Simillima sunt, quae hinc subsequuntur: *καὶ ἔρωτῆσαι δὲ δεινὸς ἐναρτίου τῶν οἰκείων Εἰπὲ σὺ μάμη, ὅτι ὄδινες καὶ ἔτικτές με, [ποτα] τις [ἥν] ἡμέρᾳ; καὶ ὑπὲρ αὐτῆς δὲ λέγειν, ως ἡδύ ἐστι, καὶ ἀμφότερα δὲ οὐκ ἔχοντα οὐ δέδιον ἄνθρωπον λαβεῖν.* Nam quocunque modo novissima v. ως ἡδύ ἐστι κ. τ. λ. corrigenda sunt, — certam enim eorum emendationem nondum tenemus, — tantum liquet interrogationem ipsam, quae primis continetur, indecoram esse et odiosam, cum homo ineptus haud dubie de nulla alia re nisi de parturiendi doloribus quaerat et mater propter pudorem tacere videatur, ita ut ille pro ea sibi ipse respondeat. Quae cum ita sint, haec nota et proxime superiori praesidio esse potest, si modo tale insuper requiritur, et vice versa ea fulcitur. Etenim ipsam quoque perperam huc illatam esse Blochius iudicavit nulla alia ductus ratione, puto, nisi quod totum ἀηδίᾳς characterem damnavit itaque omnes eius singulas notas aliis capitibus tribuere coactus est. Quod autem in βδελυφίᾳς notationem eam transposuit, hoc illa opinio minime probatur. Nam quid, precor, ioci aut lusus in eo inest, quod mater a filio suo de parturiendi laboribus interrogatur? Hoc potius ineptias hominis stolidi sapit, qui plane non sentiat ea, quae effutit, haud decere aliisque ruborem elicere.

Iam ad postrema pervenimus; quae enim inde a v. καὶ ὅτι ψυχρὸν ὄδωρ ἐστι usque ad finem leguntur, apte complectimur, quia omnia eiusdem generis sunt et ob communem rationem in dubium vocata. Ad insulsitatem molestam depingendam illa haud accommodata esse primus Reiskius pronuntiavit ad sequens caput de levis gloriolae cupiditate compositum (*μικροφιλοτιμίας*)

ea omnia pertinere arbitratus, et alii ad alia capita aleganda esse affirmaverunt. Verum haec omnia commenta iam Fossius (comm. II, p. 30—35) redarguit refellitque et veterem sedem illarum notarum tam egregie defendit, ut hodie vix quisquam de ea dubitet, etiamsi emendationes a doctissimo illo viro ad hunc locum propositae non penitus probentur. Quare plura de hac notatione dicere supersederem, nisi Ribbeckius (M. Rh. XXV, 143) denuo extremas enuntiationes in controversiam vocasset, quae ita scriptae sunt: *καὶ παραπλῶν δὲ ἐπὶ τοῦ ποτηρίου εἰπεῖν, ὅτι τὸ τέρψιον τοὺς παρόντας παρεσκεύασται, καὶ ὅτι αὐτὴν, ἐὰν κελεύσωσιν, ὁ παῖς μέτεισι παρὰ τοῦ πορνοβοσκού ἥδη, ὅπως πάντες ὑπ' αὐτῆς αὐλάμεθα καὶ εὐφρανώμεθα.* Putat enim has magis in βάναυσον cadere, qui ab Aristotele eth. Nicom. IV, 6, p. 1122a 19, vel in ἀπειρόκαλον, qui ibidem p. 1122a 32 describitur. Contra quam opinionem ipsae illae descriptiones Aristoteleae pugnant. Nam secundum eas βάναυσος sive ἀπειρόκαλος is est, qui in minutis rebus infinitis sumptuum profusionibus se dedat easque iactet; contra tibicinarum cantus in conviviis adeo usitatos et tritos fuisse constat, quibus vix quisquam posset divitias suas ostentare. Sed quid omnino βάναυσα aut ἀπειρόκαλα ad nos, quoniam horum characterum apud Theophrastum nullum invenitur vestigium? Clausulam vero illam cum reliqua ἀηδίᾳ notatione optime congruere Fossius l. l. p. 35 clare his exposuit: „Inepte idcirco homo agit, quod cum delectare vult convivas tibicina . . . , non modo num placeat quaerit, — neque enim facere possunt, quin negent, — sed rustica etiam et turpi ratione lenonis nomen usurpat.“ Quibus unum adiciam; nam illud quoque dedecet, credo, quod homunculus futura oblectamenta ipse laudibus fert et tam confidenter convivis delicias promittit, ut hi summam voluptatem simulare cogantur.

Hoc igitur capite ab omnibus suspicionibus ita defenso, ut ne unam quidem ei eripiendam esse enuntiationem constare videatur, ad proximum (*μικροφιλοτιμίας*) accedamus, quod haud diu nos morabitur. Etenim de solis verbis *καὶ ἀποδιδόντες μνᾶν ἀργυρίου παινὸν ποιῆσαι* *) ἀποδοῦνται (p. 144, 21) agetur, in quibus Ribbeckius (M. Rh. XXV, p. 141) ἀρεσκεῖα indicium deprehendisse sibi videtur, eum hominem minam creditori in aspero reddentem nihil aliud agere putet, nisi ut huic gratificetur. Et profecto ad talem opinionem facillime inducaris, si debiti solutioni tantam vim tribuas. Sed ita quoque locum accipi posse iudico, ut iste, cuins mores describuntur, nummum recens percussum ac splendidum ostentare velit eoque admirationem efficere. Quod hanc forte creditori suo in debito solvendo studet inicere, id nihil refert, cum tantum occasio sit illi fini inserviens, pro qua quaelibet alia queat substitui.

Sequitur caput ἀνελευθερίας eius mores effingens, qui propter ambitionis defectum a talibus sumptibus abhorret, quos salvo honore fugere non possit. Differt igitur illiberalis homo a parco (*μικρολόγῳ*) perquam sane sibi propinquo ita, ut in hoc non tam bonae famae et dignitatis contemptio cernatur quam nimia quaedam et minuta rei familiaris cura; toto vero genere a turpis lucri studioso (*αἰσχροκερδεῖ*) diversus est, utpote qui non modo rem parcendo retinere, sed etiam iusto plus undique capiendo et corradendo augere cupiat. Talem eum agnoscas cum ex definitone ή δὲ ἀνελευθερία ἔστιν ἀπονοία τις φιλοτιμίας δαπάνη φεύγουσα, quemadmodum

*) *ποιῆσαι*, quod hic nullam sententiam praebet, promptissimum est cum Hauptio (cf. Hermae III, 336) prorsus relegare.

e Casauboni et Schweighaeuseri emendationibus coniungendis legendum censeo, tum ex ipsa descriptione, quae maximam partem cum illa congruit. Verum non desunt in hoc capite, quae aliena videantur. Ac primum quidem quae p. 146, 4—6 scripta sunt *καὶ τριηραρχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρωμάτα αὐτῷ ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστορέννυσθαι, τὰ δὲ αὐτοῦ ἀποιθένται*, ea, ut Ribbeckius (M. Rh. XXV, p. 142) vidit, omnino non ad hominem in impensis faciendis nimis tenacem spectant, sed ad eum potius, qui lucrum quaerit in honestum. Nam procul dubio inde trieracho emolumentum oritur, quod, dum gubernatoris stragulis utitur, suis ipsius interea parcit, ita ut multo diutius durent. Deinde quanta similitudo inter hunc et eum, qui capite XXX dicitur, si legatus peregre proficiscatur, viaticum, quod publice acceperit, domi relinquere et a sociis legationis mutuari (p. 156, 5) atque, cum familiaribus si peregrinetur, illorum uti servis, suum autem mercede foris locare eam mercedem minime in commune conferens (p. 157, 12) nec non in balneis alieno oleo se inungere suum ipsius esse rancidum simulans (p. 156, 10)! Huic igitur characterismo ista de trierarchi sordibus nota reddenda est. Certum ei locum assignare non audeo, videtur autem non male p. 156, 5 ante v. *καὶ ἀποδημῶν δῆμοσίց inseri.*

Iam vero duae notae, quamquam aliquanto inter se distant spatio, coniunctim examinandae sunt, quia ambae ad servilem operam ab ipso sordido susceptam spectant, quarum superior est haec: *καὶ ἐξ ἀγορᾶς δὲ ὄψωντος τὰ κρέατα φέρειν καὶ τὰ λάχανα ἐν τῷ προκολπίῳ* (p. 146, 9). Cui simillima est altera, huius capititis paenultima: *καὶ ἀναστὰς τὴν οἰκίαν καλλύναι καὶ τὰς ψήλας ἐκπορῆσαι.**) Meierum miror, qui illam sententiam integrum reliquerit, hanc vocarit in suspicionem. Extremam enim partem huius capititis inde a v. *καὶ τὰ ὑποδήματα* (p. 146, 18) „in sordidum potius et avarum quam in illiberalem cadere ab sumptibus cuiusque φιλοτιμίας abhorrentem“ contendit et hic quoque intercidisse quaedam coniecit, quae clausulam ἀνελευθερίας et principium novi characteris continerent. Priorem vero illum locum nullo verbo attigit. Ideirco magis secum Hartungius consensit, cum utramque notam ex hoc capite expulerit superiorem ad *ἀγοραῖαν*, inferiorem una cum proxime antecedenti et insequenti ad *μικρολογίαν* referens. Sed mihi quidem utraque ad sordidam illiberalitatem depingendam apprime videtur esse accommodata. Nam secundum Graecorum de liberi ingenuique hominis dignitate et humilitate servitii opinionem is videbatur honoris sui ac decoris plane obliisci, qui quamvis melioris condicionis homo esset, tamen servilibus negotiis fungebatur. Contra quae de vestitu illiberali exprobrantur, protinus merito suspicionem movent, cum cura ad hunc conferenda non sit rerum cum honoris quadam opinione cuniunctarum. Sed singula accuratius consideremus. Primum igitur p. 146, 11 haec reperiuntur: *καὶ ἐνδον μένειν, ὅταν ἐκδῷ θοίματον ἐκπλῆναι.* Quae hominem perquam sane sordidum esse arguunt, cum vestem forensem habeat unicum, nec tamen illiberalem, quia sumptibus prorsus necessariis parcit. An ex civibus Atheniensibus, quos totum fere diem foris degisse constat, quemquam putas, quotiescumque pallium purgandum curabat, bene hoc carere potuisse, nisi alterum possidebat? Ergo eiusdem farinae est homo iste atque *μικρολόγοι*, quos in re non minus necessaria et minuta nimis restrictos videre licet vestes gestare, quae femora non tegant (p. 134, 16).

Secunda nota, quae hoc pertinet, sic tradita est: *καὶ τὰ ὑποδήματα πάλιν πήξει κεκατημένα φρεσεῖν καὶ λέγειν, ὅτι κέρατος οὐδὲν διαφέρει* (p. 146, 18). Novum vocabulum, quod

*) *αὐτός*, quod Blochius interponi iussit, per se intellegitur.

Schneiderus παλιμπήξει coniunctem scribens e πάλιν πήξει fecit, primus Fossius (comm. II, p. 21) impugnavit et in ἥλων ἐμπήξει iussit mutari, quod Duebnerus recepit. At tum nihil aliud teneremus nisi repetitionem extremae notae ἀγροκίας: καὶ εἰς τὰ ὑποδήματα δὲ ἥλους ἔγχροῦσαι, et praeterea illa sordium excusatio καὶ λέγειν, διτι ψέρατος οὐδὲν διαφέρει quam ieuna et inepta esset, dici nequit, quoniam soleae clavis ferreis suffixae cornu multo etiam duriores sunt atque potius aes ipsum aequant. Quod autem Fossius dubitat, num calcei, quibus usu abrasio et detritis novae fulmentae subditae essent, elegantioribus hominibus offensionem attulerint, equidem ex hoc ipso loco id nos discere oportere censeo. Ideo vulgata lectio, quam Fossius quoque ipse postea in editione probavit, servanda est aut, si emendanda videtur, Hanovii conjectura (symb. crit. alt. p. 8) παλιμπήγηα pro παλιμπήξει ψεπαττυμένα proponentis accipienda, qua tamen sententia loci haudquaque mutatur. Eam igitur ob causam homo noster reprehenditur, quod eum calcei usu detriti sunt, non, ut decet, novos emit, sed recentes soleas suppingi iubet. Quam rationem non illiberali convenire ante Meierum et Hartungium, quorum de hac nota suspicione supra memoratae sunt, iam Blochius sensit, quamquam in eo lapsus est, quod ad ἀγροκίαν rettulit. Nam eae huius characteris notae, quae conferri possunt, antea citatam dico καὶ εἰς τὰ ὑποδήματα δὲ ἥλους ἔγχροῦσαι et huic simillimam καὶ μείζω τοῦ ποδὸς τὰ ὑποδήματα φορεῖν (p. 125, 24), non tam nimiam parsimoniam produnt (cuius certe in posteriore nec vola nec vestigium est) quam animum ab omni cultus elegantia alienissimum, cum asper crepus calceorum clavis suffixorum aures et nimis laxorum deformitas oculos offendat. Contra usus refectorum calceorum, qui nostro loco notatur, tali offensione vacat nec omnino ex eorum, quae deformia sunt, ignoratione, sed ex sola tenacitate proficiscitur et penitus in μιχολόγους cadit, qui per fullones vestimentis suis, ne pimis cito sordes contrahant, multam cretam curant addendam, quo rarius videlicet novis egeant (p. 134, 19).

Neque multo ab hac consuetudine ea diversa est, quae ultimis verbis XXII^{mi} capituli describitur: καὶ παθεξόμενος παραστροφῶν τὸν τρίβωνα, δὲν αὐτὸς φορεῖ. Quae ita intellego: considens pallium suum obsoletum invertit, ne terram contingat eoque inquinetur. In eo igitur sordes positae sunt, quod homo vestem, quamquam usu iam detrita est, tamen non deponit, sed tam cautet tractat et a maculis tam anxie defendit, ut per plures etiam annos velle eam gestare videatur.

Ex his omnibus quis est cui non luce clarius factum sit tres illas de vestitu notas ab illiberalitatis charactere alienas atque μιχολογίας capiti tribuendas esse? Quoniam autem loco ponendae videantur, quaerenti id dubium esse nequit, quin eas sententias, quae ad eandem rem spectant, quam proxime stare debeant. Aptissime igitur in fine capituli aut ante v. καὶ αὐτὸν δὲ φοροῦντας (p. 134, 16) locarentur, nisi utrumque structura impediretur pro infinitivis participia et pluralem numerum pro singulari postulante. Atque Hartungium miror, qui quae ex XXII capite huc transtulit, simpliciter nulla excusatione aut explicatione adiecta fini annexuit, quasi talis constructionis mutatio esset frequentissima. Quare nil relictum videtur, quam ut notas exsulantes ante v. καὶ τὸ ὄλον δέ (p. 134, 15) inseramus atque statuamus extremas illas sententias hisce consimiles (καὶ αὐτὸν δὲ φοροῦντας — ἵνα μὴ ὁνταίνηται ταχύ), a quibus sic avelluntur, ab epitomatore initio omissas, postea autem in fine additas et constructioni ibi adhibitae accommodatas esse. Nec tamen haec opinio modo transpositionis propositae necessitate requiritur, sed etiam consideratione verborum καὶ τὸ ὄλον δὲ τῶν μιχολόγων καὶ τὰς ἀργυροθήνας ἔστιν ἰδεῖν εὐωτιώσας καὶ πλεῖς ἴωμένας, quae et ipsa non suo loco legi appetat. Quid enim? postquam antea singulis exemplis expositum est μιχολόγους sui quidquam

ad alios pervenire aegerrime ferre pecuniaeque parcere et deinde illa enuntiatione omnino eos raro impensam facere indicatum est, num nova tum series singulorum exemplorum tenacitatis locum habet? Minime hercule, immo haud dubie locutio, quae est *καὶ τὸ δλον*, hic non minus clausulae notationis indicium est quam capite XXIX, p. 155, 21, et omnia, quae hanc nunc sequuntur, olim praecessere.

Eorum quae restant capitum seriem celerius licebit percurrere; pergentibus enim XXVI^{mas} demum characterismus (*δλιγαρχίας*) disputandi nobis praebet materiem. Cuius definitio δόξεις δ' ἄν εἴναι ή δλιγαρχία [φιλαρχία] τις λσχυρῶς κέρδους γλυχομένη ita comparata est, ut vix cuiquam probetur. Ante omnia vox κέρδους prorsus absona est, quoniam hic non de lucri, sed de imperii agitur cupiditate. Ideo quod Pavus proposuit ράτους, plurimorum recentiorum assensum tulit. Aliam vero Hartungius ulceri medicinam afferendam esse ratus v. λσχυρῶς κέρδους γλυχομένη, quorum loco δήμους καταφρονοῦσα reponi vuit, in ἀνασχυντίᾳ (cap. IX) finitionem ή δὲ ἀνασχυντίᾳ ἐστὶ μὲν, ὡς δῷρο λαβεῖν, καταφρόνησις δόξης αἰσχροῦ ἔνεκα κέρδους transtulit et huius novissima v. αἰσχροῦ ἔνεκα κέρδους, quae sic superflua fiunt, ex αἰσχροκέρδειᾳ definitione ή δὲ αἰσχροκέρδειᾳ ἐστὶ περιουσία κέρδους αἰσχροῦ irrepisse videtur statuere, cum hanc ita corrigat: ή δὲ αἰσχροκέρδειᾳ ἐστὶ ἀπονότα φιλοτιμίας κέρδους ἔνεκα αἰσχροῦ. Quae emendandi via trium capitum definitiones perturbans quam insolens sit ac temeraria, vix pluribus exponere necesse est. Ut igitur de nimia corrigendi ac transponendi licentia taceam, hoc unum quaero, qui possit dici καταφρόνησις δόξης λσχυρῶς κέρδους γλυχομένη. Nam iure φιλαρχίαν alicuius rei cupidam dicas, quippe quae appetitio quaedam sit animi, absurdum vero est famae contemptionem cupiditatem vocare, cum potius sit cupiditatis defectus. Quonam autem modo definitioni nostrae subveniendum sit, si quaeris, illud quidem concedimus eam etiam vocabulo κέρδους, quod procul dubio librarii error est, in ράτους mutato parum aptam esse, quia iusto latius patet. Tamen si longius progrederemur, iam non librarium, sed ipsum definitionum auctorem puto nos correcturos esse, quem non Theophrastum nec magni ingenii hominem fuisse haud unus tantum locus declarat. Quamobrem Kaysero quoque dubito adstipulari, qui post φιλαρχία τις suspicatur τῶν πλουσίων excidisse.

Transponendi medela, quam modo ab huius definitionis singulis verbis prohibuimus, necessario clausulae capituli XXVIII (*κακολογίας*) toti adhibenda est, quae ita in codice exstat: οἵτως ὁ τῆς διδασκαλίας ἐρεθισμός μανικούς καὶ ἔξεστηκότας ἀνθρώπους τοῖς ἥθεσι ποιεῖ. Hanovius enim (symb. crit. II, p. 16) olim antecedenti capiti (*δψιμαθίας*) eam annexam fuisse evicit et Ribbeckii assensum tulit (M. Rh. XXV, 139). Argumento utitur verbis ὁ τῆς διδασκαλίας ἐρεθισμός, quae a maledicentiae characterismo quam maxime abhorreat neque ita, ut cum eo concinant, potuerint emendari, optime vero in serae eruditionis studiosum quadrent, cum qui hanc clausulam conscripsit, sine controversia nihil aliud dicere voluerit nisi: ita discendi nimia cupiditas insanos fere et moribus dissolutos reddit homines. Quamquam διδασκαλίας vocabulum haud satis recte videtur usurpatum esse, utpote quod institutionem, ergo non discendi, sed docendi potius significet actionem. Verum hoc non mirum est. Nam constat inter omnes clausulas non magis quam definitiones Theophrastum auctorem habere, sed posteriore demum aetate ab homine nescio quo consultas esse linguae Graecae parum gnaro. Ceterum praeter illa ὁ τῆς διδασκαλίας ἐρεθισμός etiam adiectiva μανικούς et ἔξεστηκότας, sive ad eos,

quibus maledicitur, sive ad maledicentes ipsos referuntur, valde absona sunt, at non male ei apta, qui sexagenarius iuvenum studia sectatur ideoque re vera ineptus est et fere insaniae speciem p[re]ae se fert.

Iam duo supersunt capita, XXIX^{num} (*φιλοπονησίας*) et XXX^{num} (*αισχρονερδείας*), quae solo Palatino continentur ob eamque rem et plurimis aliis additamentorum eius adversariis et Astio sunt spuria visa. Is vero, cum postremi capitis satis magna pars iam ante illum codicem inventum in omnibus vulgaribus libris, qui XV characteres priores exhibent, extremo capiti XI (*βδελυγίας*) errore folii huc trajecti adiuncta legeretur, hanc pro genuina habuit nec tamen singularem notationem efficere, sed ad *μιχολογίαν* (cap. X) vel *ἀνασχυτίαν* (cap. IX) referendam esse censuit. Cui opinioni iam Fossius comm. III, p. 23—28 adversatus est, ubi quid intersit inter dishonestam lucri cupiditatem (*αισχρονέρδειαν*), sordidam impudentiam (*ἀνασχυτίαν*), sordidam parsimoniam (*μιχολογίαν*), illiberalitatem (*ἀνελενθερίαν*), diligenter exposuit atque veteres illas *αισχρονερδείας* notas nulli alii horum quattuor vitiorum convenire uno exemplo probavit. Cum autem ceteras notas non amplius singillatim persecutus sit, nostrum videtur paulo uberius rem tractare. In universum igitur id semper tenendum est *αισχρονερδή* eum esse, qui emolumenta quaerat, unde salva honestate petere non liceat, et ne alieno quidem parcat, atque idem *ἀνασχυτόν*, sed fronte inverecunda sequi, at *μιχολόγον* omnino non aliena invadere, sed sua tantummodo retinere. Iam singula (pag. 156, 2 sq.) recensenti *μιχολογίας* certe nullum eis vestigium contineri perfacile est intellectu. Ac primum quidem venditio vini aqua mixti (p. 156, 2) manifesta fraus est, quae semper in honesto quaestui inservit. Deinde qui ad spectacula tum demum cum filiis suis venit, quando theatri redemptores gratis spectatores admittunt, is foedum luellum consecutatur, quia nullo nummo impenso et se ipsum et filios vult oblectari; neque enim parcus is est, qui voluptatibus sine mercede oblatis se dedit, sed is, qui voluptatibus sumptus requirentibus se abstinet. Multo etiam clarius turpis lucri studium in legato agnoscas, qui cum peregre proficiscitur, viaticum, quod ex aerario accepit, domi relinquit et a sociis legationis pecuniam mutuatur, siquidem haec ei gratuita, illa, quae relinquitur, ab ipso fenori datur. Sed alia quoque ratione idem homo ex legativo quaestum facere studet; cum enim ad sarcinas portandas ceteri legati pluribus servis utantur, ipse unum habet eique plura imponit, quam ferre potest, et ad victum minima omnium praebet, scilicet ut quam maximam partem viatici sibi reservet. Quid? quod se ipse cohibet et ex hospitio redigit pecuniam? Ubi enim cum collegis in urbem, quo missi sunt, pervenit et laudia accepit, suam portionem petit eaque vendita viliore cibo contentus est. Sequentem sententiam, qua is describitur, qui in balneis, ut suo oleo parcat, alieno se inungit, non in hominem restrictum cadere et per se perspicitur et ex cognata huius nota: *καὶ ἐν ληψθέων μιχῶν πάνυ ἀλειφούμενος* (p. 134, 18), qua suo oleo parce uti, sed non alienum invadere indicatur. Immo foedi lucri ille est cupidus non minus quam is, qui, si servus eius in via nummulos aereos invenit, nullo iure sibi partem inde poscit. Quod vero homo noster iusto minore mensura, cui fundus sit collitus et introrsus adactus, ipse cibaria familiae admetitur omnem cumulum hostorio demens, haec aequa fraus est ac vini diluti venditio. Proxima adeo corrupta sunt, ut vix certo possis genuinam scripturam eruere; verum si lectionem ab ipso Astio propositam *καὶ ὑποποίασθαι τι φίλου διδόντος πρὸς τρόπον, καὶ ἐπιβαλλόν ἀποδόσθαι* sequi velis, dishonesti quaestus studioso aptissimam habeas hanc sententiam: solet clam emere, quod amicus ipsi vili pretio addicit,

et pluris deinde id vendere. Fraudis autem tertium exemplum is praebet, qui si triginta minarum solvit debitum, quattuor drachmas de solido subducit. Denique in eo dilucide turpe emolumentorum aucupium cernitur, qui quando curiales convivio excipit, servis suis obsonia ex communi postulat et, qui de mensa tolluntur semesi raphani, numeratos in scriptum refert, ne ministrantes pueri eos capiant. Etenim similis illi quidem est, qui cap. X, p. 134, 9 populares convivio excipiens dicitur minutus carnes apponere, nec tamen parcus, sed vere foedi lueri avidus, quoniam non sicut hic sua retinere studet, sed aliena potius arripere. Annon cibi iam illati, quorum aliquantum servis suis repetit et reliquias ministrantibus pueris invidens scripto mandat, toti curialium sunt, cum de *λειτουργίᾳ* hoc loco agatur?

Quae cum ita sint, non amplius posse dubitari confido, quin eae notae, quae olim capiti XI insertae reperiebantur, omnes a sordida parsimonia dissentiant. Sed ne ἀναισχυντίας quidem ullum praebent indicium, cum quae huius propria est summa impudentia ac protervitas, frustra in homine eis descripto investiges. Et nonnullae eius actiones ita comparatae sunt, ut nisi occulte fere fieri non posse videantur, eas dico, quae fraudi inserviunt. Quid? quod non raro avaritiam suam diserte studet excusare? Velut in balneis lavans pedisequum, quod oleum nimis rancidum mercatus sit, obiurgat, antequam alieno se inungat.

Apparet igitur veteres huius capitinis partes egregie *αἰσχροκερδοῦς* indoli atque naturae convenire. Supplementorum autem Palatinorum Theophrasteam originem vindicare nec nostrum nec post Fossium opus est, qui comm. III, p. 21 e. q. s. accurate et plene de hac re disseruit. Nec tamen ea licet prorsus silentio praeterire, cum non cuncta suo loco legi videantur. Statim prima nota οὗτοι ἄρτοις ἵπαντες μὴ παραθεῖναι iam Blochius iure offensus est, quoniam qui familiares convivio excipiens non tantum panis, quantum sufficit, apponit, haudquaquam est foedi lucri cupidus, sed in impensis faciendis nimis restrictus. Verum quod ad ἀνελευθερίαν haec verba pertinere contendit, in eo erravit; nam amicis epulum dare liberalis et benigni hominis est, sed si semel invitati sunt exceptique, tanta eis ciborum copia suppeditetur, quanta satis est, utique oportet. Sequitur, ut is, de quo hic agitur, non liberales, sed necessarios sumptus fugiat, ergo *μισθολόγος* sit. Et cui non illico consimilis illius iam brevi ante significatae sententiae in mentem venit, quae cap. X, p. 134, 9 occurrit: *καὶ ἐστιῶν τοὺς δημότας μικρὰ τὰ κρέατα πάντας παραθεῖναι?* Quare sine ulla haesitatione Ribbeckio adstipulor, qui (M. Rh. XXV, p. 143) huic notae nostram sic annexendam esse censem: *ἐστιῶν τοὺς δημότας μικρὰ τὰ κρέατα πάντας καὶ ἄρτοις μὴ ἵπανοντες παραθεῖναι.*

Eodem iure Ribbeckius paenultimam capitinis notam *καὶ γεμοῦντες τίνος τῶν φίλων ἥ* (pro καὶ e Corais emendatione) *ἐκδιδομένου θυγατέρα πρὸ χρόνου τινὸς ἀποδημῆσαι, ἵνα[μὴ] προπίμη προσφοράν in ἀνελευθερίας descriptionem transponi iubet* (l. l. p. 142) apte conferens eius consuetudinem, qui, cum pecuniae a civibus ex voluntate conferuntur, clam de contione se subducit (p. 145, 22), et eius rationem, qui si amicum stipis colligendae gratia ad se accedere vidit, deflectens ex itinere instituto per ambages domum tendit (p. 146, 12). Et si certam sedem verbis assignari vis, nescio an nusquam melius interponantur quam post priorem notarum collatarum p. 146, 1, ita ut subsequatur eius descriptio, qui in suae filiae nuptiis illiberaliter se gerit.

Iam quaestione ad finem perducta eorum, quae in aliud caput necessario transponenda esse pronuntiavi, conspectum dare iuvat. Videntur igitur:

- 1) e cap. X, p. 134, 3 v. καὶ ἔαν τι πωλῆ — πωμένῳ in c. XXX transferenda,
 2) e cap. XIX, p. 143, 2 v. καὶ εἰς ὀρυζοσκόπον — οἶνοχόφ in c. XI,
 3) e cap. XXII, p. 146, 4 v. καὶ τρηταρχῶν — ἀποτιθέναι in c. XXX,
 4) e cap. XXII, p. 146, 11 v. καὶ ἔνδον μένειν — ἐκπλῆναι et
 p. 146, 18 v. καὶ τὰ ὑποδήματα — διαφέρει nec non
 p. 146, 21 v. καὶ καθεξόμενος — φρεῖ } in c. X,
 5) e cap. XXVIII, p. 154, 20 v. οὔτως ὁ τῆς διδασκαλίας — ποιεῖ in c. XXVII,
 6) e cap. XXX, p. 155, 27 v. οἶος ἔστιῶν — παραθεῖναι in c. X,
 7) e cap. XXX, p. 157, 18 v. καὶ γαμοῦντος — προσφοράν in c. XXII.

Haec qui contemplatus erit et aequa aestimatione ponderaverit, confitebitur me non minus eorum temeritate abstinuisse, qui in hoc transpositionis genere nihil sibi non licere putarunt, quam prava superstitione illorum, qui prorsus ab eo abhorruerunt.